THE UNIVERSITY

OF ILLINOIS

LIBRARY
478.2
B64

Gröber Library 1912

ÜBUNGSSTÜCKE

ZUM

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

ÜBERSETZEN AUS DEM LATEINISCHEN INS DEUTSCHE

FÜR DIE ERSTEN ANFÄNGER

VON

DR. E. BONNELL,
DIRECTOR UND PROFESSOR AM FRIEDRICHS-WERDERSCHEN
GYMNASIUM ZU BERLIN.

ACHTE AUFLAGE.

BERLIN.
VERLAG VON TH. CHR. FR. ENSLIN.
(ADOLPH ENSLIN.)
1869.

Vorrede.

Der Zweck dieses Lesebuchs ist Einübung der Lateinischen Formenlehre und möglichst frühe Einführung der Anfänger in die Lateinische Sprache selbst. Die Formen soll der Schüler, sobald er sie als einzelne Wortbildungen gelernt hat, im einfachen und zusammengesetzten Satze angewendet sehen, und so aus lebendiger Anschauung erfahren, wie er selbst sie zu verwenden habe.

Berechnet ist das Buch für die Sexta und Quinta und zwar unter der Voraussetzung, dass in der Sexta die regelmässige, in der Quinta die abweichende Flexion gelernt werde. Demnach sind für Sexta bestimmt:

A. Beispiele mit dem Verbum Esse, Seite 1 — 9.

B. Beispiele für die erste Conjugation. I. Regelmässige Verba, Seite 9 — 12.

C. Beispiele für die zweite Conjugation. I. Verba, die im Perfecto ui oder vi haben, Seite 15 — 19.

D. Beispiele für die dritte Conjugation. I. Verba pura. A. Verba, die einen Vocal vor dem o haben, wozu auch die auf vo gehören, Seite 25—26, Satz 1—32. Seite 27—28, Satz 1—20. II. Verba muta. B. Verba auf do und to. 3) di im Perfectum, sum im Supinum, Seite 32 und 37, 3.

E. Beispiele für die vierte Conjugation. I. Regelmässige Verba, Seite 70—73.

Unter den zusammengesetzten Sätzen können nur diejenigen für Sexta angewendet werden, welche regelmässige Conjugationsformen enthalten, wie überhaupt jene Sätze vorzugsweise für Quinta bestimmt sind.

236245

Für Quinta ist ein auf zwei Cursus berechneter Stoff gegeben, und zwar so, dass in dem ersten Cursus die Sätze mit ungeraden, in dem zweiten die mit geraden Zahlen gelesen werden; am Schlusse des Semesters einige der angehängten Erzählungen und Gespräche.

Der rechte Nutzen für eine frühzeitige Kenntniss und Einübung der Lateinischen Sprache wird aus dem Gebrauche des Buchs entstehen, wenn recht viel gelesen wird; was wohl ausführbar ist, wenn der Lehrer in der für die Lectüre bestimmten Zeit sich auf die Uebung des Uebersetzens beschränkt und nicht fortwährend vielerlei andere Uebungen damit verbindet, als ob das Uebersetzen selbst nicht auch einen grossen Nutzen brächte.

In genauer Verbindung steht das Lesebuch mit dem zweiten Etymologischen Theil meines Vocabulariums (12. Aufl. Berlin bei Enslin, 1868), so dass der hieraus gelernte Wörtervorrath jedesmal in den entsprechenden Abschnitten zur Anwendung kommt.

Zum Uebersetzen aus dem Deutschen in's Lateinische für die ersten Anfänger dienen die aus dem Nachlasse des Professors Ferd. Schmidt vom Oberlehrer Fr. Beeskow herausgegebenen Uebungsstücke (Berlin bei Enslin, 3. Aufl. 1868), welche sich genau an meine Lateinischen anschliessen und auch dieselbe Beziehung zum Vocabularium haben.

Bonnell.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

A. Beispiele mit dem Verbum Esse.

I. Erste Declination.

1) Terra est rotunda. 2) Luna est candida. 3) Stellae sunt splendĭdae. 4) Formīca est sedŭla. 5) Ranae sunt parvae. 6) Forma simiarum est diversa. 7) Natura bestiarum est varia. 8) Patria semper erit cara. 9) Colonia Agrippina[1]) erat clara et magna. 10) Ripae Mosellae[2]) sunt altae. 11) Aegīna olim opulenta insula fuit. 12) Multae terrae provinciae Romanae fuerunt. 13) Mensae sunt aut rotundae aut quadratae. 14) Togae et tunicae albae fuerunt. 15) Nonnullae syllabae sunt longae. 16) Invidia est caeca. 17) Arrogantia est odiosa. 18) Honesta vita est beata. 19) Conscientia nostra sit bona, non mala. 20) Vita sit proba et integra. 21) Disciplīna olim magis erat sevēra quam nunc est. 22) Fortuna erit nunc[3]) secunda nunc adversa. 23) Mea pila est[4]). 24) Latĕbrae non semper erunt tutae. 25) Divitiae sunt incertae. 26) Semper erunt causae discordiarum[5]). 27) Aurōra est Musis amica. 28) Pugnae Persarum cruentae fuerunt. 29) Terra est planētes. 30) Gorgias erat sophistes.

II. Zweite Declination.

1) Numerus est infinītus. 2) Venti sunt varii. 3) Taurus est robustus. 4) Horti semper erunt amoeni. 5) Nonnulli fluvii sunt lati et alti. 6) Romŭlus et Remus gemĭni erant. 7) Magnus erat numerus filiorum Darīi[6]). 8) Libertīni erant, qui[7]) servi fuerant. 9) Mi fili, ne sis otiosus. 10) Gladii acūti sunto. 11) Spatium est immensum. 12) Aurum est solĭdum. 13) Lilia sunt alba. 14) Aegypti coelum semper est temperatum. 15) Templa Aegyptiorum erant splendĭda. 16) Scuta Grae-

---

1) Der frühere Name der Stadt *Cöln am Rhein.* — 2) *Die Mosel.* — 3) nunc — nunc *bald — bald.* 4) sprichwörtl.: *ich habe gewonnen.* — 5) der Genit. wird mit *zu* übersetzt. — 6) des ersten Königs von Persien dieses Namens. — 7) *welche.*

corum et Trojanorum erant longa. 17) Imperium Romanum erat valĭdum beneficiis erga socios. 18) Dona sunt grata, interdum periculosa. 19) Pocŭla sunt aut aurea aut argentea aut vitrea. 20) Sepulcra sunt monumenta mortuorum. 21) Apri sunt feri et hispĭdi. 22) Ocŭli equorum sunt nigri. 23) Ager Romanus initio[8]) non amplus fuerat. 24) Pueri alii sunt modesti, alii[9]) protervi. 25) Libri puerorum mundi et tersi sunto. 26) Etrusci erant magistri Romanorum. 27) Utĭnam cuncti viri boni essent. 28) Diserti fuerunt multi, viri boni pauci. 29) Domĭnus justus non eris, nisi liber sis a vitiis. 30) Templa sunt sacra sed Deus solus sanctus.

III. Erste und zweite Declination.

1) Magna erat gloria populi Romani. 2) Praeclara sunt facta regīnae Zenobiae. 3) Numantia fuit parvum sed clarum oppidum. 4) Fabri armorum et machinarum fuerunt maxime honorati[10]) apud Romanos. 5) Patria struthiocamēli est Africa. 6) Cibus equorum sunt avēna et foenum. 7) Aquĭlae infestae sunt cervis. 8) Cervi etiam profŭgi erunt praeda luporum. 9) Notae nummorum apud Romanos fuerunt bigae atque quadrīgae. 10) Aurum saepe causa multorum malorum fuit. 11) Praecepta sapientiae sunt magis pretiosa quam aurum. 12) Non fere[11]) infestus est literis nisi literarum ignārus.

1) Scythae erant bellicosi. 2) Persae luxuriosi fuerunt. 3) Attĭci non advĕnae sed indigĕnae erant. 4) Ascanius filius Aenēae erat. 5) Hippias et Hipparchus erant filii Pisistrăti. 6) Athēnae erant velut templum literarum. 7) Zaleucus erat servus et discipulus et amīcus Pythagŏrae[12]). 8) Adria est turbĭdus et inquiētus. 9) Vernae erant servi in domo heri nati[13]). 10) Sthenĕlus et Meriŏnes praeclari aurīgae in bello Trojano fuerunt. 11) Agricŏlae vespĕra[14]) fessi sunt molestiis diurnis. 12) Scurrae plerumque sunt inepti, interdum facēti.

IV. Dritte Declination.

1) Leo est fera bestia. 2) Etiam pavones erant inter cibos opulentorum Romanorum. 3) Homo es, nihil humani[15]) a te alienum erit. 4) Multis hominibus insanus fere columbarum[16]) amor fuit et adhuc est. 5) Colores sunt varii. 6) Romŭlus et

---

8) *anfänglich.* — 9) alii — alii *einige — andere.* — 10) *geehrt.* — 11) *nicht leicht.* — 12) eines berühmten Griechischen Weisen. — 13) *geboren.* — 14) *am Abend.* — 15) *nichts Menschliches.* — 16) der Genit. wird mit *zu* übersetzt.

Remus erant nepotes Numitōris. 7) Aggĕres et fossae sunt munimenta castrorum. 8) Ansĕres non milites aliquando custodes Capitolii[17]) fuerunt. 9) Quinque sunt aetates vitae humanae. 10) Ex avibus aquĭlae maximus est honos, maxima vis. 11) Ne sis unquam immĕmor laudis bonorum. 12) Acropŏlis erat arx Athenarum. 13) Cyrus primus rex Persarum fuit. 14) Lycurgus et Solon legum latores[18]) fuerunt. 15) Nidi aquilarum sunt in rupibus et arboribus. 16) Ars longa, vita brevis est. 17) Ovidius condĭtor erat varii et elegantis poëmatis. 18) In[19]) mari magnae et parvae sunt naves. 19) Lac et mel multorum populorum cibus est unicus. 20) In terra, in aqua, in aĕre, ubīque sunt animalia. 21) Clarorum carminum auctores in magno honore sunt. 22) Magna flumina erant termĭni imperii Romani. 23) Roma diu fuit caput orbis terrarum[20]). 24) In nonnullis pueris frenis, non calcaribus[21]) opus est[22]). 25) Jecur est sedes cupiditatum. 26) Hominum corpora mortalia sunt, animi immortales. 27) Luscinia parva est avis et tamen tanta vox in tam parvo corpore. 28) Homērus et operis et[23]) artis claritate omnium poëtarum est praecipuus. 29) Omne onus erit leve, quum gratum erit.

1) Multitudo est credŭla. 2) Pisistrătus tyrannus clarus dux fuerat. 3) Amazŏnes erant feminae Scythĭcae. 4) Non semper erit aestas. 5) Consuetudo est altera natura. 6) Pulvis et umbra sumus. 7) Amīcus verus est rara avis. 8) Ebriĕtas est voluntaria insania. 9) Nulla regŭla unquam sine exceptione fuit. 10) Obedientia est mater felicitatis. 11) Nimia securitas erit initium calamitatis. 12) Somnus est imago mortis. 13) Miseria semper fuit comes aeris aliēni[24]). 14) Error et poenitentia sunt comites festinationis. 15) Magna fuit quondam reverentia capitis cani[25]). 16) Verecundia juventutis indicium est virtutis. 17) Hipparchi interfectores erant Harmodius et Aristogīton. 18) Pulchra est vitiorum ignoratio. 19) Cupiditas causa multorum bellorum fuit. 20) Plaustra erant domicilia muliĕrum Scythicarum. 21) Nullae[26]) sunt hominum adversus Deum vires. 22) Magna erat alacritas Atheniensium. 23) Miltiădes erat dux Atheniensium. 24) Satellĭtes sunt custodes corporis[27]) principum. 25) Pelles sunt vestimenta barbararum

---

17) die Burg von Rom. — 18) leg. lat. *Gesetzgeber*. — 19) *auf*. — 20) orb. terr. *Erdkreis*. — 21) der Ablat. durch den Genit. zu übersetzen. — 22) *es bedarf*. — 23) et — et *sowohl — als auch*. — 24) aes alienum *die Schulden*. — 25) der Genit. mit *vor* zu übersetzen. — 26) *nichtig*. — 27) custos corporis *der Leibwächter*.

gentium. 26) Hippias auctor belli inter Athenienses et Persas fuit. 27) Xerxis avus erat Cyrus, conditor imperii Persarum. 28) Historia est testis temporum praeteritorum. 29) Permagna est vis naturae. 30) Mens sapientis erit semper tranquilla. 31) Athenae erant Graeciae decus. 32) Juno soror et conjux Jovis erat. 33) Atrae nubes sunt indices imbrium. 34) Canes sunt custodes boum et suum et ovium. 35) Alia itinera sunt exigua et amoena, alia[28]) longa et molesta. 36) In montibus sunt fontes fluminum. 37) Maria sunt domicilia piscium. 38) Calcaria sunt decus equitis. 39) Olim civitatibus nullae leges erant. 40) Nihil Deo obscūrum est, nulla fraus satis dissimulata[29]). 41) Probi homines Deo accepti sunt. 42) Sapientes sapientibus etiam ignotis[30]) sunt amīci. 43) Numantia virtute sua Hispaniae decus fuit. 44) Permagna est saepe furum astutia.

V. Vierte und fünfte Declination.

1) Horrĭdi saltus erant olim in Germania. 2) Mugītus pecŏrum gratus est auribus viatoris. 3) Cantus est donum divīnum. 4) Fastus est odiosum vitium. 5) Coetus hominum molesti sunt aegris. 6) Pulchri sunt colores arcus coelestis[31]). 7) Cornua sunt ornamenta et arma armentorum. 8) Gelu ovibus perniciosum est. 9) Fulgŭra sunt velut praecursores tonitruum. 10) Portus Syracusarum urbis erat magnifĭcus. 11) Portĭcus erant aptae ambulationibus[32]). 12) Acus sunt acūtae. 13) Xerxis introĭtus in Graeciam magnifĭcus, discessus foedus fuit. 14) Casus dementis correctio sit sapientis. 15) Vultus sermo tacĭtus mentis est. 16) Romanis erant annui magistratus. 17) Lanae ac vestium usus Scythis ignotus erat. 18) Anĭmi imāgo vultus est, indĭces ocŭli[33]). 19) Magnum spatium est inter acies adversas. 20) Fames est condimentum cibi, sitis potionis. 21) Fortuna est domina rerum humanarum[34]). 22) Consiliis nulla res tam inimīca est quam celeritas. 23) Sub Caesaribus unīus familiae quasi hereditas respublica Romana fuit. 24) Apud Romanos certi dies fasti et nefasti erant. 25) Nulla dies sine linĕa esto.

---

28) alia — alia *einige — andere.* — 29) *verheimlicht.* — 30) etiam ign. *auch wenn sie ihnen unbekannt sind.* — 31) arc. coel. *der Regenbogen.* — 32) der Dativ mit *für* zu übersetzen. — 33) ergänze *sunt.* — 34) res. hum. *die menschlichen Angelegenheiten.*

VI. Unregelmässige Declination.

1) Divitiae Romanorum erant immensae. 2) Ibi divitiarum[35]) cupīdo est, ubi etiam usus. 3) Clitellae multis gentibus ignotae sunt. 4) Arma militum sunt ferrea. 5) Moenia sunt tutēla urbium. 6) Per apertas valvas est introĭtus in domum. 7) Clandestīnae insidiae impiorum hominum perniciosae sunt civitati. 8) Tenĕbrae noctis furibus sunt amīcae. 9) Nuptiae Antonii et Cleopătrae erant causa cruenti belli. 10) Indutiae inter Romanos et Carthaginienses crebrae erant. 11) Copia vocabulorum discipulo necessaria est. 12) Iōnes inter auxilia Persarum erant. 13) Copiae Xerxis innumĕrae fuerunt. 14) Castra Romanorum semper munīta[36]) erant. 15) Opes et facultates non tantum sunt bonum quantum sapientia. 16) Literae Graecae et Romanae fontes sunt humanitatis. 17) Totus fere senatus a partibus Pompēji erat. 18) Cupedia est vitium parvulorum. 19) Horti sunt saepe pars facultatum hominum opulentorum. 20) Paucae operae assiduae pluris sunt[37]) quam multae pigrae. 21) In foro Romano erant comitia. 22) Margarītae sunt abscondĭtae[38]) opes maris. 23) Nonnulli loci in libris sunt corrupti[39]). 24) Alia loca sunt aspera alia plana.

VII. Nomen Adjectivum.

1) Omne initium est difficile. 2) Favor erat nunquam stabilis. 3) Ira est furor brevis. 4) Qui felix fuit, bis[40]) miser erit. 5) Deus est omnipŏtens. 6) Solon erat vir justitia insignis. 7) Inter Athenienses et Dorienses erant veteres simultates. 8) Avaritia est fons omnium malorum. 9) Venturae[41]) memŏres jam nunc estote senectutis. 10) Tristis eris, si solus eris. 11) Narratio sit brevis et aperta et probabilis. 12) Tarentum, Lacedaemoniorum colonia, quondam totīus Lucaniae caput erat. 13) Corpus Cygni nullo telo vulnerabile erat. 14) Crudelitate foeneratorum plebs Romana misera atque egens erat. 15) Cato potentibus semper erat adversus. 16) Omnium rerum magister est usus. 17) Opes Caesaris Pompejo suspectae erant. 18) Amicis sunt omnia communia. 19) Mors omni aetati communis est. 20) Acerba est omnis servitus homini ingenuo. 21) Aestīvi ardores Afrĭcae graves sunt. 22) Darīo Codomāno erat mite ingenium. 23) Reverentia numinis divīni omnibus hominibus

---

35) der Genit. mit *nach* zu übersetzen. — 36) *befestigt.* — 37) pl. sunt *sind mehr werth.* — 38) *verborgen.* — 39) *verdorben.* — 40) hier *doppelt.* — 41) *des einst kommenden.*

innata[42]) est. 24) Multa[43]) sunt civibus inter se[44]) communia: forum, templa, theatrum, viae, leges et multa alia. 25) Virgae ac flagella sunt instrumenta servilia. 26) Sapiens homo semper felix erit. 27) Non pauperes sunt miserabiles sed malefĭci et improbi. 28) Dionysius tyrannus erat malignus et suspĭcax. 29) Ne superstĭtes sitis vestrae gloriae. 30) Utĭnam ne unquam essent degenĕres clarorum patrum filii.

VIII. Comparation der Adjectiva.

1) Antiochīa quondam florentissima urbs erat. 2) Caligŭla crudèlissimus Imperator fuit. 3) Flumina tranquillissima saepe sunt altissima. 4) Nullum vitium taetrius est quam avaritia. 5) Apud Scythas nullum scelus furto[45]) gravius erat. 6) Inter Athenienses et Megarenses olim gravissimum bellum fuit. 7) Solum Aegypti fecundissimum est. 8) Dionysius crudelissimus Syracusarum tyrannus erat. 9) Irae[46]) Atrĕi et Thyestis[47]) acerbissimae fuerunt. 10) Ferrum magis necessarium est quam aurum. 11) Tubarum concentus vehementior est quam tibiarum. 12) Aestatis tempus maxime idoneum est ad navigationem. 13) Nihil est pulchrius, nihil amabilius quam virtus. 14) Nulli homines sunt miseriores quam mali et flagitiosi. 15) In Helvetia sunt asperrimi montes totīus Europae. 16) Argentum est vilius auro[48]), aurum virtutibus[48]). 17) Omnium fere totius orbis terrarum pulcherrima plaga Campaniae est. 18) Contentus est ditissimus. 19) Voluptatibus maximis finitimum est fastidium. 20) Honesta mors melior est quam turpis vita. 21) Divitiores non semper erunt feliciores. 22) Cogitationes posteriores saepe sunt sapientiores. 23) Romŭlus primus rex Romanorum fuit. 24) Salus popŭli summa lex esto. 25) Plurimae civitates Graecorum erant liberae. 26) Codrus ultimus rex Atheniensium fuit. 27) Artemĕnes erat maximus natu[49]) filiorum Darīi Hystaspis. 28) Xerxes semper primus in fuga, postrēmus in proelio erat. 29) Liberi clarissima pignora omnibus semper erunt. 30) Bona opinio hominibus tutior est quam pecunia. 31) Juniores ad bellum paratiores sunt. 32) Gades extrēma orbis terrarum urbs erat.

---

42) *angeboren.* — 43) Das Neutrum Plur. von Adjectivis, die nicht mit einem Substantivo verbunden sind, ist im Deutschen gewöhnlich durch das Neutr. Sing. zu übersetzen. — 44) *untereinander.* — 45) *als Diebstahl.* — 46) durch den Sing. zu übersetzen. — 47) zwei wegen ihres gegenseitigen Hasses bekannte Brüder. — 48) der Ablat. mit *als* zu übersetzen. — 49) max. n. *der älteste.*

IX. Zahlwörter.

1) Ciborum variĕtas est una causa morborum. 2) Tres sunt clarissimae poëtriae Graecae: Sappho, Corinna, Erinna. 3) Annus est tempus trecentorum sexaginta quinque dierum. 4) In capite sexaginta tria sunt ossa. 5) In sacris scriptis undeoctoginta sunt libri. 6) Bellum triginta annorum Germaniae erat perniciosissimum. 7) Olympias fuit tempus quinquaginta mensium[50]. 8) Homo sexaginta annorum[50] senex est. 9) Centum annorum tempus est secŭlum. 10) Una et viginti sunt epistolae Novi Testamenti. 11) Latīnis sunt viginti propriae consŏnantes. 12) Numĕrus dierum mensis Februarii vulgo sunt duodetriginta. 13) Decem erant cohortes legionis Romanae. 14) Planētae olim erant undecim numero[51]. 15) Summa cohortium Caesaris in pugna Pharsalica erant viginti duo, Pompejanarum quadraginta quinque milia hominum. 16) Summa exercitus Alexandri Magni erant triginta quinque milia hominum. 17) Tantum duodecim milia peditum Macedoniorum erant in exercĭtu Alexandri Magni. 18) Chiliarchus est dux mille militum. 19) Summa exercitus Darīi erant trecenta milia militum. 20) Darīi Hystaspis adversus Scythas exercĭtus erat[52] septingentorum milium hominum. 21) Asia per[53] mille quingentos annos Scythis vectigālis erat. 22) Brutus et Collatīnus primi Romanorum Consŭles fuerunt. 23) Primus rex Romanorum fuit Romŭlus, secundus Numa Pompilius, tertius Tullus Hostilius, quartus Ancus Marcius, quintus Tarquinius Priscus, sextus Servius Tullius, septimus et ultimus Tarquinius Superbus. 24) In secundo bello civīli undeviginti legiones Romanae in armis erant. 25) Manipŭlus erat tricesima pars legionis Romanae. 26) Antonīnus Philosŏphus erat sextus decimus Imperator Romanus. 27) Tertium bellum Punicum erat cruentissimum. 28) Quinta pars orbis terrarum diutissime erat incognĭta. 29) Quintum decimum secŭlum erat initium novi status rerum. 30) Nonae sunt aut quintus aut septimus dies mensis. 31) Triplex plerumque erat acies Romanorum. 32) Duplex frumentum duplexque stipendium erant praemia fortium militum apud Romanos. 33) Hannibal in Gallia Cisalpīna[54] bis victor fuerat. 34) Marius quinquies consul fuit.

X. Pronomina.

1) Tu, Fabi Maxime[55], cautissimus ducum Romanorum

---

50) der Genit. mit *von* zu übersetzen. — 51) der Ablat. mit *an* zu übersetzen. — 52) *bestand aus.* — 53) *hindurch.* — 54) Gall. Cisalp. der alte Name für *Oberitalien.* — 55) der Römische Feldherr, der zuerst gegen Hannibal glücklich focht.

fuisti. 2) Ipsa voluntas peccandi[56]) peccatum erit. 3) Hoc etiam puero est perspicuum. 4) Sum tibi viribus[57]) impar. 5) Nullum fere animalium genus est, quod non homini sit utile. 6) Is nobis sit carissimus, qui est optimus. 7) Impium illud verbum est: ego ipse mihi proximus sum. 8) Altitudo cupressi cujusdam erat ducentorum tredecim pedum. 9) Quid est fletu muliebri[58]) turpius viro? 10) Utĭnam nobis semper abstinentia aliēni esset. 11) Unusquisque discipŭlus diligens et obediens esto. 12) Num[59]) quidquam similius est insaniae quam ira? 13) Romanis non minor cum mulieribus Germanorum quam cum ipsis pugna fuit. 14) Cui ingrati sint odores et colores florum? 15) Quis erit utrisque partibus simul amicus? 16) O dulcis requies! quid est dulcius te[60])? 17) Qui neutri parti amīcus est, utrīque est invisus. 18) Idem dies, qui finis hujus est vitae, erit initium aeternae. 19) Ego vero[61]) inimīcus sum avāris et sui tantum commŏdi studiosis. 20) Tu, avāre, ipse tibi es summum onus. 21) Cujus amicitia erit nobis perniciosor quam perfĭdi? 22) Ipsi tui satellites, Tibēri, erant tui interfectores. 23) Nihil mihi est odiosius quam perpetua consilii vestri mutatio. 24) Vos omni laude[62]) estis dignissimi, qui nunquam adversus inŏpes atque egentes inīqui fuistis. 25) Illi demum erunt gratissimi, qui etiam injuriae a beneficiorum auctore illatae[63]) sunt patientissimi. 26) Nullus praestantior nobis, vobis, omnibus erit ornatus quam virtus. 27) Quid foedius est quam avaritia et ignavia? 28) Est verbum justissimi regis: Suum cuique. 29) Illis estote amici, qui sunt optimi. 30) Is erit fortissimus, qui ipse suarum cupiditatum victor fuerit.

XI. Composita von Esse.

Adsum *ich bin bei etwas zugegen.* absum *ich bin fern, entfernt.* desum *ich fehle.* insum *ich bin daran, wohne ein.* intersum *ich bin dazwischen.* obsum *ich bin schädlich.* praesum *ich stehe vor.* prosum *ich nütze.* subsum *ich stecke dahinter.* supersum *ich bin übrig.*

1) Inŏpi pauca desunt, avāro omnia. 2) Absit clamor in colloquio et lusu. 3) Risus non procul abest a derīsu. 4) Dum[64]) tibi animus non deest, spes est. 5) Inter principium et interĭtum

---

56) *zu sündigen.* — 57) *an Kräften.* — 58) der Ablat. mit *als* zu übersetzen. — 59) zeigt die Frage an und wird nicht übersetzt. — 60) der Ablat. mit *als* zu übersetzen. — 61) *fürwahr.* — 62) der Ablat. durch den Genit. zu übersetzen. — 63) *angethan;* der Genit. mit *gegen* zu übersetzen. — 64) *so lange.*

reïpublicae Romanae mille ducenti undetriginta anni interfuerunt. 6) Vir bonus est, qui prodest quam plurimis[65]), obest nemini. 7) Mi fili, multum tibi aliquando proderit ista diligentia. 8) Ut leges magistratibus, ita magistratus populo praesunt. 9) Qui civitati profuerit, ipse sibi prodĕrit. 10) Aliis[66]) civitatibus praesunt reges, aliis principes, aliis magistratus. 11) Reïpublicae Romanae praeerant Consŭles, Atheniensium[67]) Archontes. 12) Campus Marathonius Athēnis[68]) decem milia passuum abĕrat. 13) Heus, pueri, adeste animis![69]) 14) Absit a nobis ira et odium. 15) In formōsa specie saepe prava mens inest. 16) Sociĕtas malorum amicorum magis tibi obĕrit quam insidiae inimicorum. 17) Caesar Galliae provinciae decem annos praefuerat. 18) Alter ducum classi, alter[70]) copiis pedestribus praefuit. 19) Cognitio juris civīlis prodest iis, qui reïpublicae praesunt. 20) Homini diligenti semper aliquid superest. 21) Saepe auro multa mala subsunt. 22) Famae semper fere suberit aliquid veri. 23) Ex illo proelio circiter CXXX milia hominum superfuerunt. 24) Miles fortis omnibus periculis aderit.

B. Beispiele für die erste Conjugation.

I. Regelmässige Verba.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Opus commendat artificem. 2) Aequālis aequālem delectat. 3) Aestas non semper durabit. 4) Aliēnis plumis te ornas. 5) Ne mutes amicos. 6) Asĭnum non curo. 7) Contentus semper abundabit. 8) Festīna lente. 9) Errare est humanum. 10) Tempus omnia revēlabit. 11) Natūram mutare difficile est. 12) Omnia mea mecum[1]) porto. 13) Amato patrem et matrem. 14) Hominis figūra supĕrat figuram omnium animantium. 15) Aliēnum aras fundum. 16) Canes timĭdi vehementius latrant. 17) Sine pennis volare haud facile est. 18) Spes bona firmat animum. 19) Cur celatis sententiam vestram? 20) Optat

---

65) quam plurimi *so viele als möglich.* — 66) alii — alii *einige — andere.* — 67) ergänze *reïpublicae.* — 68) *von Athen.* — 69) *mit eurem Geiste,* d. h. *gebt Acht!* — 70) alter — alter *der eine — der andere.*

1) st. cum me *mit mir.*

ephippia bos piger. 21) Famam curant multi, conscientiam pauci. 22) Ne curate verba malorum. 23) Scintilla parva magnas flammas excĭtat. 24) Finis corōnabit opus. 25) Aristīdem Athenienses omnium hominum justissimum appellaverant. 26) Magna pars orbis terrarum olim imperio Romano obtemperavit. 27) Coenantes Graeci et Romani crines floribus et coronis ornabant. 28) Diligentia vestra, pueri, vobis ipsis maxima commoda comparavistis. 29) Caesar Augustus duodecim annos natus[2]) aviam pro rostris[3]) laudavit. 30) Quis nisi turpissimus proditor consilia amicorum inimicis indicaverit?

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Multi homines aedifĭcant domos, in quibus non habitabunt. 2) Te ipsum nimis amas, ideo nullus tibi amicus est. 3) Donec eris felix, multos numerabis amicos. 4) Malus homo tum est pessimus, quum bonum se simŭlat. 5) Qui liberos suos amat, eos etiam castīgat. 6) Si unum castigaveris, centum emendabis. 7) Ego, si bonam famam mihi servavero, satis dives ero. 8) Universae apes provŏlant, quum dies mitis futura est[4]). 9) Tu domum servas, ego laudo ruris amoeni rivos. 10) Turpissima homini[5]) excusatio est: non putaveram. 11) Fessum delectabit otium, tristem exhilărabit cantus. 12) Pessimum amicorum genus sunt ii, qui semper laudant. 13) Id optimum putato, quod est rectissimum. 14) Magna et subtīlis quaestio est, quonam modo[6]) apes foetus progenĕrent. 15) Saepe majores nostri dimicaverunt, ut patriam suam liberarent. 16) Graeci Romanos, qui ipsos armis superaverant, doctrina et omni literarum genere longe superabant. 17) Amīcos tibi compăra; eos vero, quos tibi comparaveris, ne statim repudia. 18) Legibus obtemperate, vituperate neminem, imperate vestrae libidini. 19) Arando noxias herbas agrorum extirpamus. 20) Quadringenti equites Helvetiorum fortiter dimicantes quattuor milia Romanorum fugaverunt. 21) Multos fortuna libĕrat poenā, metu neminem. 22) Utrum[7]) probitas an[8]) eruditio magis commendat hominem? 23) Quo fortuna, eodem[9]) favor hominum se inclīnat. 24) Summum bonum[10]) alii voluptatem, alii nominis gloriam, alii opum affluentiam putant.

---

2) *alt.* — 3) *auf der Rednerbühne.* — 4) *bevorsteht.* — 5) der Dativ mit *für* zu übersetzen. — 6) *auf welche Art wohl.* — 7) dient zur Frage und wird nicht übersetzt. — 8) *oder* im zweiten Gliede einer Doppelfrage. — 9) quo *wohin,* eodem *ebendahin.* — 10) *für das höchste Gut.*

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Polycrătes Samius[11]) appellabatur felix. 2) Ventis summae arbores maxime agitantur. 3) Omnia improvīsa mala putantur graviora[12]). 4) Pigri discipŭli vituperabuntur. 5) Triduum[13]) apud Lipsiam acriter pugnatum est. 6) Jure a nobis laudaris, tu omnium excellentissime. 7) Aristīdes omnibus virtutibus ornatus erat. 8) Semper parati estote. 9) Fortunati vocamini, etsi non estis. 10) Parvŭli olim a servis educabantur. 11) Subĭto terrore tota acies perturbata est. 12) Multa quotidie a nobis peccantur. 13) Onera a mulis et asĭnis portantur. 14) Julius Caesar in curia necatus est. 15) Quidam canes venandi gratia comparantur. 16) Etiam occasiones peccandi vitantor. 17) Socrătes ab oracŭlo Appollĭnis[14]) sapientissimus[15]) judicatus est. 18) Sumptus supervacui evitantor. 19) Nihil omnium rerum melius administratur quam mundus. 20) Respublica Romana ab imprŏbis civibus saepe perturbabatur. 21) Parentes a liberis maxime amantor. 22) Virtus ab omnibus semper plurimi[16]) aestimetur. 23) Aurum probatur igne, fortes viri calamitatibus. 24) Non fortuna sed moribus[17]) homines aestimentur. 25) Aequales aequalibus facillime congregantur. 26) Romani plerumque aqua calida lavabantur. 27) Usus aquae frigidae olim a medicis minus commendatus erat. 28) Cur tempora praeterita tam saepe laudata sint? 29) Romani non a Pyrrho sed ab elephantis Pyrrhi superati sunt. 30) Vos, diligentissimi discipuli, praemiis vestrae virtutis ornabimini.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Tempora mutantur, et nos simul mutamur. 2) Ubi partes labant, summa[18]) turbatur. 3) Quotidie fere castigaris nec tamen[19]) emendaris. 4) Stultus nimium inflatur, si saepe rogatur. 5) Interdum homines ideo tantum alios laudant, ut ipsi ab eis laudentur. 6) Quotidie mutamur, nec, quod sumus, fuimus, nec cras erimus. 7) Etsi Romani victores totius fere orbis terrarum erant, tamen eorum cupīdo nondum satiata erat. 8) Id[20]) imprimis spectate, ut optimo cuique[21]) probemini.

---

11) aus Samos, einer Insel im Archipelagus. — 12) *für schwerer.* — 13) *drei Tage lang.* — 14) *das Orakel des Apollo* war ein heiliger Ort zu Delphi, dessen Priesterinnen für von dem Gotte Begeisterte galten, und desshalb wurden ihre Aussprüche für untrüglich angesehen. — 15) *für den Weisesten.* — 16) *am höchsten.* — 17) der Ablat. mit *nach* zu übersetzen. — 18) *das Ganze.* — 19) nec t. *und doch nicht.* — 20) *darauf.* — 21) optimus quisque, *alle Guten.*

9) Socrātes, etsi omnium innocentissimus erat, tamen accusatus et damnatus est. 10) Postquam diu pugnatum est, tandem hostes fugati sunt. 11) Quum respublica perturbata fuerit, cives miseri erunt. 12) Romani eum corōna navali[22]) donabant, cujus opera navis hostium occupata erat. 13) Cn.[23]) Pompējus, qui ter triumphaverat, in Aegypto trucidatus est. 14) Athenienses eos publice laudabant, qui in proeliis necati erant. 15) Cyrus gentem suam luxuria effeminatam ad pristĭnam virtutem revocavit. 16) Caesar Octavianus, qui Augustus vocatus est, totum orbem terrarum pacavit. 17) Romŭlus, qui Romam aedificavit, a pastore regis educatus erat. 18) A probis probari, ab imprŏbis improbari, aequa laus est. 19) Vejentes et Caeninenses[24]) fugati sunt, et Romŭlus insŭper spolia opīma[25]) reportavit. 20) Tres vulnerati Curiatii ab Horatio[26]), qui solus at intĕger supererat, superati sunt. 21) Macedŏnes apud Issum tantum fugatorum hostium numerum necaverant, ut ipsi caedibus fatigarentur. 22) Tyrus, celeberrima Phoenīces urbs, a rege Alexandro diu oppugnata et tandem expugnata est. 23) Nullus rex Romanorum religiosior Numā[27]) erat; ita enim res postulavit, ut ferox ille populus Deorum[28]) metu mitigaretur. 24) Tarquinii Superbi injuriis agitatus populus Romanus se in libertatem vindicavit.

II. Unregelmässige Verba.

1) Deus homini nihil divinius dedit quam mentem. 2) Sermo datus est multis, sapientia paucis. 3) Attius Navius Augur cotem novacŭlā secuit. 4) Honores pessumdĕderunt complures. 5) Multum juvit Ulyssem illa ejus[29]) calliditas. 6) Alexander, Macedŏnum rex, magnam Asiae partem perdomuit. 7) Non omnia, quae vetita sunt, vitantur. 8) Tota Gallia a Caesăre domĭta est. 9) Magna feminarum caterva Darēi Codomāni[30]) uxorem circumstĕtit, quum Alexander tabernaculum ejus intra-

---

22) cor. nav. *Schiffskrone.* — 23) Cn. ist die Bezeichnung des Römischen Vornamens Gnaeus; A. Aulus, C. Gajus, D. Decimus, L. Lucius, M. Marcus, M'. Manius, P. Publius, Q. Quintus, S. Sextus, Sp. Spurius, T. Titus, Ti. Tiberius. — 24) zwei benachbarte Völker Roms. — 25) so nannten die Römer *die von einem Könige oder Feldherrn erbeutete Rüstung eines in der Schlacht von ihm erschlagenen Königs oder Feldherrn.* — 26) drei Horatier und drei Curiatier, Drillingsbrüder, entschieden den Kampf zwischen den Römern und Albanern. — 27) der Ablat. für *quam Numa.* — 28) der Genit. mit *vor* zu übersetzen. — 29) illa ejus *seine bekannte.* — 30) der König von Persien, welchen Alexander besiegte.

ret. 10) Tota acies clipĕis increpuit. 11) Quum primum Juppiter tonuit, comitia dissipata sunt. 12) Magna est vulgo cupiditas earum rerum[31]), quae vetĭtae sunt. 13) Alexander Thebis expugnatis[32]) milites suos[33]) Pindări domum violare vetuit. 14) Imperator milites subĭto terrore attonitos castigavit. 15) Auro purpurāque micuit regia vestis. 16) Veteres Germani urorum cornibus potabant. 17) Veteres, priusquam dimicabant, corpora oleo fricabant. 18) Multum adjūvit Croesum recordatio Solonis[34]). 19) Nimia audacia etiam fortissimos nimiis periculis implicuit. 20) Postrēmus omnium regum Romanorum fuit Tarquinius, cui cognomen Superbus datum est. 21) Nemo fere Romanorum in conviviis accubuit, nisi se laverat. 22) Epaminondas dimĭcans semper in primis[35]) stetit. 23) Tubae vehementer sonant. 24) Romani Syracūsas oppugnantes scalas muris applicuerunt.

Fabeln, Erzählungen und Gespräche zur ersten Conjugation.

1. *Das Pferd und der Esel.*

Asĭnus, onustus sarcĭnis, equum rogavit, ut aliqua parte oneris se[36]) levaret; sed hic auxilium suum recusavit. Paulo post[37]) asinus labore defatigatus in ipsa via efflavit animam. Tum agāso sarcĭnis omnibus, quas asinus portaverat, atque insuper etiam pelle asini mortui equum oneravit. Sero igitur hic superbiam priorem deploravit.

2. *Die Mäuse und die Katze.*

Mures aliquando inter se deliberabant de praesidio contra felem. Quum multa alia commendata essent, denique omnibus probatum est, ut tintinnabulum ex aere ad felis caudam alligaretur, cujus tinnītu adventus ejus indicaretur. Sed quum inter se interrogarent, quis tintinnabulum alligaturus esset, nemo paratus fuit.

3. *Saturn und seine Kinder.*

Graeci et Romani plura numina olim adorabant. Antiquissimum Deorum Romani Saturnum appellabant, Graeci

---

31) der Genit. mit *nach* zu übersetzen. — 32) Th. exp. *nach der Eroberung Thebens.* — 33) der Accus. hier mit dem Dat. zu übersetzen. — 34) der Genit. mit *an* zu übersetzen. — 35) *unter den* Vordersten. — 36) *ihn.* — 37) *bald darauf.*

Cronon, quo nomine tempus significatur. Soror ejus et uxor Rhea erat, cui quinque fratres cum totĭdem sororibus fuerunt[38]). Saturnus imperium mundi sibi paravit, postquam pater et frater ab eo superati sunt. Is vero filios suos devoraturus erat, anxius, ne per aliquem eorum ipse exterminaretur. Sed Rhea laudabili caritate tres filios, qui vocantur Juppĭter, Neptūnus, Pluto, lapides pro eis marito suppeditans, a saevitia patris servavit.

4. *Der Haushahn und die Mägde.*

Anui cuidam duae ancillae erant[38]) et gallus gallinacĕus. Puellae, quum quotidie ad cantum galli suscitarentur, iratae molestum suscitatorem necaverunt, ne tam matūre excitarentur. Sed haec nex iis fraudi futura erat[39]); nam vetŭla, mane cantum avis expectare consueta, ignorabat horam et multo maturius ancillas excitabat.

5. *Der Geizhals und der Wanderer.*

Avarus auri massam in terra celaverat. Quum quotidie anxius ventitaret ad hanc visitandam[40]), vicinus eum observavit et clam celatum thesaurum exspoliavit. Redux ille, ut vacuum locum spectavit, miseriam suam deplorabat. At viator, postquam causam doloris exploravit: Quid tantopere afflictaris? ait[41]); saxum pro auro eodem loco cela, et id tuum aurum[42]) puta. Nam deest avaro tam[43]) quod ei est, quam[43]) quod ei non est.

6. *Lucius Aemilius Paulus.*

L. Aemilius Paulus, filius ejus, qui apud Cannas necatus est, primo consulatu de Liguribus triumphavit. Iterum consul Persen, Philippi filium, regem Macedŏnum, apud Pydnam acri proelio profligavit. Miseriam nobilis regis deploravit quidem sed eundem captivum in triumpho per vias Romae urbis ductavit. In hac laetitia graviter afflictatus est morte duorum filiorum, quem tamen casum fortiter tolerabat, ac domus suae calamitate rempublicam a majore clade servatam[42]) existimabat.

7. *Cornelius. Fridericus.*

C. Quod est tibi domicilium, Friderice? Fr. Paterna domus ad forum piscatorium[44]) sita est. C. At vero cur hic ambulas

---

38) mihi est *ich habe.* — 39) f. erat *sollte gereichen.* — 40) ad vis. *um zu besehen.* — 41) *sagte.* — 42) der Accus. mit *für* zu übersetzen. — 43) tam — quam *sowohl — als auch.* — 44) f. pis. *Fischmarkt.*

meridiano tempore?[45]) Fr. Hodie non coenabo domi. C. Quisnam te invitavit ad coenam? Fr. Avunculus meus. C. Ubīnam ille nunc habitat? Fr. In domo conductitia[46]) in platea lata. C. At est ei domus propria. Fr. Est quidem, sed hanc locavit inquilīnis quibusdam. C. Mirifice! locat propriam domum et habitat in conductitia. Fr. Ita est. C. Cur non in sua potius ipse habitat? Fr. Quia parum est ampla nec sita est in loco commodo. C. Sed agĕdum festīna! nam horologium, nisi aberrat a vero tempore, jam primam post meridiem horam indĭcat.

8. *Leopoldus. Guilelmus.*

L. Quid tam tristis es et hic solus cogitas? G. Deplōro miseriam meam. L. Quae tibi est deploranda miseria, quum semper fueris discipulus modestus et diligens. G. Ecce, classes mutavimus[47]). L. Haecine vero[48]) te cruciat miseria? haec potius est felicitas quam miseria. G. Fortunatis est felicitas; sed mihi non est pecunia ad libros necessarios comparandos. L. Non dat tibi pater? G. Dat quidem interdum sed nimis parce. L. Num avaritia ejus parsimoniae causa est? G. Minime vero![49]) paupertas est. L. Nonne vero magister scholae tibi libros suppeditat? G. Suppeditat ille quidem, sed non potest omnes, quia plures pauperes discipuli in nostra sunt classe. L. Esto bono animo! dabo operam, ut pater meus te adjŭvet; is enim libenter sublĕvat bonarum literarum studiosos pueros. G. O me felicem![50]) ego vero dabo operam, ut dignum me praestem hoc beneficio.

C. Beispiele für die zweite Conjugation.

I. Verba, die im Perfecto *ui* oder *vi* haben.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Germanorum species vehementer terruit Romanos. 2) Parentes tuos tibi carissimos[1]) habe. 3) Etiam pauperes habent sua gaudia. 4) In omnibus rebus modum adhibeto.

---

45) mer. t. *Mittagszeit.* — 46) de cond. *Miethshaus.* — 47) cl. mutare *Versetzung haben.* — 48) h. v. mis. dies *U. also?* — 49) M. v. *keinesweges.* — 50) O. m. f. *O ich Glücklicher!*

1) *für die theuersten.*

5) Plerīque clari viri Atheniensium tristissimum exĭtum habuerunt. 6) Rura mihi placent et limpidi fontes. 7) Xenocrătes philosŏphus pecunia[2]) non egebat. 8) Conscientia bona nihil timebit. 9) Etiam silendo saepe peccamus. 10) Naufrăgus etiam tranquillas aquas timet. 11) Plenus venter non studet libenter. 12) Vulgo placere est[3]) sapientibus displicere. 13) Vita luxuriosa abhorret a castris et strepitu armorum. 14) Difficile est tacere nostrum dolorem. 15) Dominus servos timens minus est quam servus. 16) Julium Caesărem vates Idibus Martiis[4]) frustra monuerat. 17) Vulpem vestigia animalium nunquam retroversa ab introĭtu speluncae leonis deterrebant. 18) Cur monuisti memŏrem? 19) Vitam tuam debes patriae. 20) Amici nostrum casum luctumque magnopere dolent. 21) Multae leges in aeternum[5]) valebunt. 22) Parebimus legibus et magistratibus. 23) Supplices in limine templi jacebant. 24) Canis parvulo Cyro praebuerat ubera.

1) Deus mundum omnibus bonis implevit. 2) Graeci Trojam expugnatam igni ferroque deleverunt. 3) Berenīce regīna crinem suum Diis vovit. 4) Tres Decii Diis infĕris se devoverunt. 5) Imperator Augustus poëtis imprīmis favit. 6) Ne foveas anguem in sinu ut rusticus ille. 7) A[6]) cane muto et aqua silenti cave. 8) In magnis tempestatibus omnia vento nimbisque fervent. 9) Dies diem[7]) docet. 10) Quid? tu imberbis docebis senes? 11) Tenemus aliquid dextra, sinistra, digĭtis, lacertis. 12) Cyrus omnium in exercitu suo militum nomina tenebat. 13) Nemo violenta imperia diu obtinuit. 14) In furno calido torreto panem. 15) Dulce amarumque una nunc mihi miscuisti. 16) Ne censeas dona benigno animo data.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Potentia Dei immensa est nec habet finem. 2) Nihil melius est quam cum ratione tacere. 3) Non, quidquid[8]) splendet, est aurum. 4) Similitudo morum plus valet in amicitia ac semper valebit quam affinĭtas. 5) Principibus placuisse non ultima laus est. 6) Incertum est, qui mortales initio Africam habuerint. 7) Miserum est habuisse et nihil habere. 8) Nemo bene imperat, nisi qui paruit imperio. 9) Cui ignota est urbs illa celeberrima Graeciae, Athēnae, ubi artes et literae maxime florebant? 10) Non acerba sed blanda timeas verba,

---

2) *des Geldes.* — 3) *heisst.* — 4) Id. M. *am 15. März.* — 5) *für immer.* — 6) *vor.* — 7) d. diem *ein Tag den andern.* — 8) *Alles was.*

etenim sub dulci melle saepe latuerunt venēna. 11) Amemus patriam, pareamus magistratibus. 12) Multis hominibus sua[9]) displĭcent, aliēna placent. 13) Omne, quod excellens egregiumque opus futurum est[10]), difficiles habet ortus incrementaque tarda. 14) Nulli flores sunt, qui semper floreant. 15) Quum Nilus suam aquarum abundantiam cohibuit, Aegyptii frustra agrorum fertilitatem sperant. 16) Romani quotannis binos consŭles creabant, qui annŭum haberent imperium. 17) Horatius Cocles, quum diu solus instantes hostes sustinuisset, Tiberim transnatavit. 18) Porsēnam[11]) incredibilis Romanorum audacia adeo terruit, ut haud ultra Romam expugnare tentaret. 19) Tum imprīmis apparebit vera virtus, quum periculum appropinquabit. 20) Romani Vejos[12]) ita prorsus deleverunt, ut postea ne vestigia quidem hujus urbis restarent. 21) Multum eis semper debebimus, qui nos virtutem docuerunt. 22) Athlētae, priusquam dimicarent, assidue in palaestra se exercebant. 23) Soror Horatii unum paludamentorum, quae frater triumphans gestabat, ipsa neverat. 24) Illorum hominum miseria saepe nos minime commŏvet, qui maxime nostram misericordiam implōrant.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Elĕphas et leo igne terrentur. 2) Ovibus frons virĭdis praebetur. 3) Ab amicis libentissime moneor. 4) Graeci superbis minis Persarum minime perterrĭti sunt. 5) Antīquis debetur[13]) veneratio. 6) Scytharum gens antiquissima[14]) semper habita est. 7) Nimium loquaces merĭto habentur inepti. 8) Mulieres conviviis[15]) Graecorum non adhibebantur. 9) Adhibeberis omnibus et seriis rebus et remissionibus nostris. 10) Memoria quotidie exerceatur. 11) A tectis Germanorum hospĭtes nunquam arcebantur. 12) Principibus multum nocetur blandis adulatorum dictis. 13) Vis ventorum altis montibus coërcetur. 14) Olim et a regibus et a filiis regum agricultura et res pecuaria[16]) exercebatur. 15) Tempestatibus agricolae ab arando, nautae a navigando prohibentur. 16) Segetibus admodum nocetur imbribus. 17) Bonus princeps a civibus non timetur. 18) Infamia magis timetur quam pestis.

---

9) *das Ihrige.* — 10) *werden soll.* — 11) König von Clusium, einer Stadt in Hetrurien. — 12) Veji, eine mächtige Stadt in der Nachbarschaft Roms. — 13) *gebührt.* — 14) *für das älteste.* — 15) der Dativ wird mit *zu* übersetzt. — 16) res pec. *Viehzucht.*

1) Calamitatibus docemur. 2) Temeritas cum sapientia non commiscetur. 3) Movemini precibus miserorum. 4) Carthago et Corinthus, celeberrimae urbes, a Romanis deletae sunt. 5) Quinto quoque anno Sicilia a Romanis censebatur. 6) In aenĕo tauro Phalarĭdis, Agrigentini[17]) tyranni, nocentes ignibus tosti sunt. 7) Post Persarum cladem ad Plataeas omnes viae cadaveribus impletae erant. 8) Multi homines pudore tantum et metu in officio retinentur. 9) Omnes una eādemque lege naturae continemur. 10) Implearis optimis praeceptis sapientiae. 11) Ciceronis atrocissima mors ab omnibus bonis defleta est. 12) Aedes veterum deorum aut vetustate aut igni aut alia vi abolitae sunt.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Quo quisque melior fuerit, eo[18]) major habetur. 2) Adolescens eram, et jam mihi ab illo sene honos ut aequali habebatur. 3) Allocutio comis dextraque data recte olim certissimae benevolentiae indicia habebantur. 4) Pompejus ad Dyrrhachium plura castella pariter tentaverat, ut manus Caesaris distinerentur. 5) Doctus sum, nihil timere nisi turpem famam. 6) Prohibemur aliorum casibus et malis, ne[19]) nostris terreamur. 7) Omnia adhibĭta remedia tamen interdum aegrōtis magis nocent quam prosunt. 8) Qui a multis timetur, ipse multos timeat. 9) Quibusdam viris, qui de patria bene meruerant[20]), Athēnis[21]) victus quotidianus publice in Prytanēo[22]) praebebatur. 10) Si non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua et fructu: callĭdi sumus, non boni. 11) Ciceroni propterea imprīmis summa laus debebatur, quod patriam a furore Catilīnae[23]) servaverat. 12) Magnus eos mehercle stupor occupaverit, qui gloria non moventur. 13) Caesar frustra ab uxore admonitus est, ne Idibus Martiis[24]) curiam intraret. 14) Eis agris bello maxime nocetur, quos hostis diu occupavit. 15) Nulla clade Romanis magis nocitum est quam luxuria et morum pravitate, cui se dederant. 16) Nulli magistratui Romano provinciam obtinere licebat, nisi senatui placitum erat. 17) Adventu Ariovisti, Germanorum principis, territos milites Caesar confirmavit, ignāvos castigavit. 18) Multa

---

17) Agrigentum war eine im Alterthume berühmte Stadt der Insel Sicilien. — 18) quo — eo *je — desto.* — 19) hier mit *dass* zu übersetzen. — 20) merere de mit dem Ablat. *sich um etwas verdient machen.* — 21) *zu Athen.* — 22) Prytanēum war ein öffentliches Gebäude in den Griechischen Städten. — 23) Catilina hatte sich mit Mehreren verschworen, Rom in Brand zu stecken. — 24) Id. M. *am 15. März.*

olim ab hominibus Diis vota sunt: victĭmae, signa, templa; nos vero Deo, nisi pium sincērumque animum, nihil voveamus. 19) Numantia, Hispaniae urbs, ab illo Scipione deleta est, qui Africanus minor[25]) appellabatur. 20) A conjuratis Caesar ipse quidem trucidatus neque tamen ejus testamentum abolitum erat. 21) Sustentus sum a te, amicissime, sicut debiles artus bacŭlo sustinentur. 22) Nullis praeceptis melius docemur quam eis, quae in sacris scriptis continentur. 23) Quum clades ad Cannas Romanis nuntiata esset, forum omnesque viae plangore completae sunt. 24) Tantum erat aliquando studium tantaque fides Christianorum, ut nullis minis, nullis suppliciis coërcerentur.

II. Verba, die unregelmässig nach der Analogie der dritten Conjugation, und solche, die ohne Perfectum und Supinum sind.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Hannĭbal ingenti Romanorum[26]) odio ardebat. 2) Inīqua regna nunquam perpetuo manserunt. 3) Haerent in scuto tela ab hostibus vibrata. 4) Rex noster nunquam inīqua jussit. 5) Spes mulcet animos. 6) Quidam homines nunquam riserunt. 7) Ne irrīde infelicem. 8) Iracundia nulli unquam justum suasit. 9) Sequens unda urget priorem. 10) Deteriora pertinacius haerent. 11) Tecta nobilissimorum Romanorum olim ebŏre et auro fulgebant. 12) Alexander Magnus postrēmo ebrietati et iracundiae nimis indulsit. 13) Terra circum axem se summa celeritate torquet. 14) Utĭnam victoriam extorsissetis adversariis vestris! 15) Lectio auget scientiam nostram. 16) Hiĕme[27]) campi lucent nive. 17) Femĭnae Romanae secundum majorum institutum mortem marīti per intĕgrum annum lugebant. 18) Caninio Consŭle[28]) nemo Romae prandit. 19) Romani decem annos Vejos urbem obsederunt. 20) Aliēna vitia melius videmus quam nostra. 21) Equus mordet frenum. 22) Nebŭlae in vallibus pendentes serenitatem significant.

---

25) minor, vom Lebensalter, *der Jüngere.* — 26) der Gen. mit *gegen* zu übersetzen. — 27) der Abl. mit *in* zu übersetzen. — 28) *unter dem Consulat des C.:* da er Nachmittags Consul wurde und Tags darauf früh das Amt niederlegte.

23) Catilīna sociis suis honores et praemia spopondit. 24) Mors quotidie immĭnet tam juveni quam[29]) seni.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Tertium secŭlum non videbit eum hominem, quem primum vidit. 2) Ne responde, puer, nisi interrogatus fueris. 3) Si beatam optabitis vitam, manete in sedibus vestris. 4) Phaëthontis sorores, quia nimium luxerunt, a Diis in arbores mutatae sunt. 5) Quae pater possĭdet bona, eadem olim filius habebit. 6) Dum causa odii remănet, odium remanebit. 7) Gubernator sedet in puppi et tenet clavum. 8) Darīus in somniis Alexandrum in eodem vestītu Persico et vulgari vidit, quo ipse olim, antequam regnavit, fuerat. 9) Orpheus cantu suo non feras modo mulcebat, sed saxa etiam silvasque ductabat. 10) Suadendo et dissuadendo jam multi odium sibi conciliaverunt. 11) In pugna cum Samnitibus prima post turpem cladem Caudīnam omnium militum Romanorum oculi iracundia arserunt. 12) Quum Julio Caesări jam undĭque pericula imminerent, frustra eum Artemidōrus, philosŏphus Graecus, admonuit, ut sibi caveret.[30]) 13) Quaecunque possidebis, ne possideto injuria. 14) Vulgo quidem, nec tamen raro immerĭto, quod ipsi vidimus, id verum habemus. 15) Darīus, ultimus Persarum rex, Charidēmum, Graecum hominem, etsi optime suaserat, ināni suspicione motus necavit. 16) Dionysii tyranni filiae patri, perpetuo insidias timenti, ipsae barbam totonderunt. 17) Nestor, vetus ille Pyli, Messeniae urbis, rex, viderat virum, qui ferro non vulnerabatur. 18) Magna gloriae[31]) cupidine ardebat pectus Caesăris, quum Alexandri Magni signum Gadibus[32]) vidit. 19) Parentes, qui vitiis liberorum nimis indulserunt, ipsi sua[33]) indulgentia haec auxerunt. 20) Deus creavit mundum, ex[34]) eoque principium et medium et finis quoque pendet. 21) Tyndarĕus Helĕnam filiam, quae posthac gravissimum excitavit bellum, Menelāo despondit. 22) Inter aedes Romae, quae nunc est[35]), praecipue eminet et jam procul spectatur illa Petro Apostŏlo sacrata. 23) Neminem sane magis commoverat gloria Titi Livii, rerum scriptoris[36]), quam Gaditānum[37]) quendam, qui ab ultimis terrarum finibus Ro-

---

29) tam — quam *sowohl — als auch.* — 30) caveo mihi *ich nehme mich in Acht.* — 31) der Genit. mit *nach* zu übersetzen. 32) *zu Gades* (Cadix). -- 33) *ipse* mit dem Pron. *suus* ist der Lat. Ausdruck für: *sein eigener* u. s. w. — 34) *von.* — 35) R. quae nunc est *das jetzige Rom.* — 36) rer. scr. *der Geschichtschreiber.* — 37) Gaditanus, *ein Einwohner von Gades,* welches die Alten sich als die äusserste Stadt des Erdkreises dachten.

mam[38]) migravit, ut eum videret. 24) Rectius ac tutius tenebunt imperium, quos amant cives, quam quos timent.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Diogĕnes philosŏphus a plerisque derisus est. 2) Irridetur interdum sapiens a stulto. 3) Ab invidiosis hominibus nunquam recta nobis suadentur. 4) Ab imprŏbis nobis persuadentur[39]) imprŏba. 5) Aures mulcentur cantu. 6) Jam puer urgebar fatis acerbis. 7) Plebs Romana et militia et inopia urgebatur. 8) Interdum inīquis precibus amicorum nimis indultum est. 9) Malefĭci memoria scelerum suorum[40]) perpetuo torquebuntur. 10) Permulti homines sollicitudine futurarum rerum[41]) nimis torquentur. 11) Res familiaris[42]) augetur parsimonia et diligentia. 12) Respublica Romana imprimis aucta est virtute civium. 13) Concordia etiam parvae res augebuntur. 14) Nonnullae stellae a nobis non videntur. 15) Uxor Darīi semel tantum ab Alexandro visa est. 16) Summi vertĭces montium procul videntur. 17) Etiam res diligentissime celatae aliquando videbuntur. 18) Capitolium, arx urbis Romanae, a Gallis obsessum est. 19) Carthāgo terra marique a Romanis obsidebatur. 20) Multae opes injuriā possidentur. 21) Circiter quinque secula totius fere orbis terrarum imperium a Romanis possidebatur. 22) Imperium Graecarum civitatum a Thebanis haud diu possessum est. 23) Oves a pastoribus quotannis tondentur. 24) A cane muto prius quam a vehementer latranti mordeberis. 25) Magna hominum turba interdum vano spectacŭlo concietur.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) A stultis merĭto derideri, molestum est. 2) Iracundia vitium levis atque infirmi animi videtur esse. 3) Non ita a natura generati sumus, ut tantum ad ludum et jocum esse videamur. 4) Sunt regiones, ubi sol fere sex continuos menses non videtur. 5) Omnibus semper mirabile visum est, quod[43]) Achillis corpus nullo telo erat penetrabile. 6) Athēnis[44]) virgines orbae eis despondebantur, qui ipsis cognatione proximi

---

38) *nach R.* — 39) persuadetur mihi aliquid *ich werde zu etwas überredet.* — 40) der Genit. mit *an* zu übersetzen. — 41) der Genit. mit *um* zu übersetzen. — 42) res fam. *das eigene Vermögen.* — 43) *dass,* nach den Ausdrücken *der Verwunderung.* — 44) *zu Athen.*

erant. 7) Zopŷrus a ceteris derisus est, quia in[45]) Socrăte vitia vituperavit, quae hic non habebat. 8) Mirum sane videatur, quod[46]) omnes provinciae imperii Romani semper in fide manserunt. 9) Quamquam Pyrrhus rex Romanos bis fugaverat, tamen animus ejus hac duplici victoria minime est auctus. 10) Consules a senatu jussi erant, quam celerrime[47]) exercitum et classem comparare. 11) Quotiens iis, qui aliis necem paraverant, sica de manibus extorta est! 12) Ciceronis vigilantia de Catilīnae manibus ferrum, quo omnibus bonis caedem paraverat, extortum est. 13) Victoria augetur, clade debilitatur animus ac spes militis. 14) Miltiădes a Lemniis[48]), quum deditionem postularet, irrisus est. 15) Qui scelus patraverunt, conscientia male facti[49]) graviter morderi solent. 16) Quos hilări vultu videmus, iidem interdum occulto dolore vehementer mordentur. 17) Hannibal Capuam a Romanis obsessam obsidione liberare frustra tentavit. 18) Tib. Gracchus, tribunus plebis, legem dedit, ne ab ullo[50]) cive amplius quingenta jugera agri publici possiderentur.

Fabeln, Erzählungen und Gespräche zur zweiten Conjugation.

1. *Der Esel und der Fuchs.*

Asinus olim leonis pellem sibi comparaverat, in qua latens reliquas quadrupĕdes terrebat. Vulpem quoque obviam terrere tentavit. Sed haec, cujus aures acutas solitus asini rudor non latuerat, Ista, inquit[51]), horrenda oris torvitas profecto gravi pavore me complevisset, nisi rudor tuus me docuisset, qualis esses leo. Indoctus idem[52]) et arrogans suo sermone ignorantiam suam indicat.

2. *Der Hahn, Hund und Fuchs.*

Canis et gallus quondam commigrantes per noctem in opāca arbore manebant ad corpora longo itinere fessa recreanda. Gallus in summo cacumine haerebat, canis in excavato caudice latebat. Quum vero dies adventaret, et gallus, ut solebat, cantasset: vulpes cantu advocata eum enixissime rogavit, ut de-

---

45) hier *an.* — 46) *dass,* wie Anm. 43. — 47) *so schnell als möglich.* — 48) Einwohner von Lemnos, einer Insel im Aegaeischen Meere. — 49) male factum *die Uebelthat.* — 50) ne ullus *dass keiner.* — 51) *sagte.* — 52) hier *zugleich.*

volaret. Desiděro enim, inquit[53]), animal tam canorum propius adspectare et pectore meo fovere[54]). Sed gallus, jam pridem monitus, ut a vulpe caveret, respondit: Et ego desiděro, tecum[55]) esse; sed tu prius operam da, ut fores pateant, quibus ad te ventitem, et hanc ob causam[56]) janitorem infra excubantem suscĭta. Jam vero quum vulpes janitorem vocasset, canis excitatus morsibus eam laceravit.

3. *Apollo und Phaëthon.*

Apollĭnis, qui et Sol vocatur, et Clymĕnes nymphae filius erat Phaëthon. Hic a patre precibus impetravit currum quo Sol per orbem coeli quotidie meare solebat. Sed quum habēnas equorum Solis tractare non valeret, ejusque errore et coelum et terra arderent: Juppiter in eum fulmina torsit, quibus expiravit. Cujus miserabilem mortem postea sorores ejus tam diu deflebant, donec misericordia deorum in pōpulos mutarentur. Apollo autem ira commotus fabros Sicānos[57]), qui Jovi fulmina fabricaverant, trucidavit, quam ob causam[58]) Juppiter eum ex coelo in terram migrare ibīque per aliquod tempus exulare jussit.

4. *Apollo und Marsyas.*

Minerva ex osse tibias fabricaverat, quibus in deorum convivio cantavit. Quum tumentes ejus buccas dii omnes irrisissent, illa in aqua Tritoniae paludis ipsa faciem suam spectavit, et quum turpes judicasset buccas inflatas, tibias procul a se jactavit. Marsŷas satŷrus has sibi vindicavit, iisque cantando quum satis doctum se putaret, Apollĭnem concertaturus de cantibus provocavit. Ambo Midam, Phrygiae regem, judicem creaverunt, cujus judicio Marsyas superatus poenas dedit, ac pendens et enudatus ad necem verberatus est. Tum nymphae satyrique et ceteri ruris incolae Marsyae crudelem sortem adeo defleverunt, quod ejus cantu carituri essent, ut ex lacrimis eorum flumen emanaret, quod Marsyas appellatum est.

5. *Minos, König von Creta.*

Minos Cretensis, qui Jovis filius putabatur, justitia et mansuetudine mentis meruit, ut mores ejus pluris quam claritas natalium aestimarentur. Fuit enim rex Cretae tam clemens, ut, quibus imperabat, hi gauderent eum dominum habuisse.

---

53) *sagte er.* — 54) pectore fovere *an die Brust drücken.* — 55) *bei dir.* — 56) h. ob c. *deshalb.* — 57) *Sicani* heissen die ältesten Bewohner Siciliens. — 58) q. ob c. *weshalb.*

Nec morte quidem honore apud homines privatus est, existimabatur enim apud manes de supremo exitu mortalium judicare. Veteres enim Graeci, ut impios crudelesque apud inferos poenas dare, sic bonis bonae vitae praemia post mortem esse, censebant.

6. *Marcus Brutus.*

Marcus Brutus, avunculi Catonis imitator, Athenis philosophiae, Rhodi eloquentiae studebat. Quaestor in Galliam cum Caesare migrare recusavit, quod is bonis omnibus displicebat. Cum Appio Claudio in Cilicia fuit, et quum ille repetundarum[59]) accusaretur, ipse ne verbo quidem infamatus est. Civili bello a Catone ex Cilicia revocatus a Pompeji partibus stetit[60]), quo superato veniam a Caesare impetravit et proconsul Galliam gubernavit; tamen cum aliis conjuratis in curia Caesarem trucidavit. Et ob invidiam veteranorum in Macedoniam ablegatus, ab Antonio et Octaviano in campis Philippicis profligatus, Stratoni liberto cervices ad jugulandum praebuit.

7. *Adolphus et Bernardus.*

A. Magnopere gaudeo, mi Bernarde, quod tandem aliquando te video; sed quo ita properas? B. Ad te propero, amice. A. Itane vero? Augetur igitur gaudium meum; nam jam annus est, ex quo[61]) te non vidi apud me. B. Magis mihi placet desiderari ab amicis quam iis molestum esse; nam, quo crebrior est usus amicorum, eo facilius parat satietatem. A. Imo, boni amici nulla est apud me satietas. Tu vero, quo crebrius huc ventites, eo gratior mihi eris. B. Jam vero intremus domum tuam, admodum enim defatigatus sum ambulando. A. Intra igitur, amicissime, et recreemus corpora et animos quiete ac jocosis sermonibus.

8. *Andriscus et Bibulus.*

A. Quid cogitas? Quid agitas, Bibule? B. Sedeo. A. Video; sed quomŏdo se res habent tuae? B. Male. A. Istud verbum pessimi est ominis. Ne, quod abest, infortunium verbis praesignificato. Age vero, pronuntia vere ac libere, quid agites. B. Ego vero otium agito[62]). A. Praestat otiosum esse quam ignāvum. Ego te fortasse occupatum studiis artium literarumve interpello. B. Imo maxime vacuum; ac jamdūdum desiderabam

---

59) *wegen Erpressungen.* — 60) a partibus stare *auf der Seite jemandes stehen.* — 61) *seitdem.* — 62) ot. agitare *Musse haben.*

familiarem aliquem, quocum captarem sermones. A. Itaque quum nec turbem negotia tua nec interpellem studia, remanebo paulisper apud te, nec longius ambulabo. B. In tempore[63]) et optatus mihi ades, gratissimumque mihi erit tecum tempora anteacta perlustrare et ad novas spes nos mutuo excitare.

D. Beispiele für die dritte Conjugation.

I. VERBA PURA.

A. Verba, die einen Vocal vor dem *o* haben, wozu auch die auf *vo* gehören.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Lectio acuit ingenium. 2) Verrem, praetorem Siciliae, foedissemae avaritiae coarguit Cicĕro. 3) Nonnullae gentes sagittas venēno imbŭunt. 4) Ne manus imbuas cruore civium tuorum. 5) Laus acuit industriam. 6) Suspitio saepe tyrannos ad crudelitatem acuit. 7) Tagus fluvius arēna sua aurum volvit. 8) Justitia suum cuique tribuit. 9) Nemo restituet tibi annos. 10) Alexander, Asiae victor, pretiosissimas sibi induit vestes regum Persarum. 11) Candidati[1]) apud Romanos candidas vestes induebant. 12) Athenienses arguerunt Socratem impietatis erga Deos. 13) Scipio Africanus minor, legis agrariae[2]) adversarius, repugnantiam suam morte luit. 14) Latrones scelera sua morte luent. 15) Jocus et gaudium molestias vitae comminuunt. 16) Caesar timorem militum consolatione minuit. 17) Capite nutantes annuimus. 18) Ne inopibus auxilium tuum abnue. 19) Mummius, imperator Romanus, Corinthum, opulentissimam Graeciae urbem, diruit. 20) Terrae motibus[3]) jam totae urbes corruerunt. 21) Imperatoris Neronis facinora scelesta plerique Romani despuerunt. 22) Tarentini conspuerant togam legati Romani. 23) Solon leges civitatis Atheniensis instituerat. 24) Orationi silentium tribuamus. 25) Justa paterno funeri solvito.[4]) 26) Flumina

---

63) i. t. *zur rechten Zeit.*

1) so hiessen bei den Römern Alle, die sich um ein obrigkeitliches Amt bewarben. — 2) lex agraria *das Ackergesetz*, nach welchem kein Römischer Bürger mehr als 500 Morgen Staatslandes besitzen, das Uebrige unter die ärmeren Bürger vertheilt werden sollte. — 3) *Erdbeben.* — 4) justa solvere *die gehörige Ehre erzeigen.*

etiam lapides in mare volvunt. 27) Dionysius tyrannus perpetuo insidias metuebat. 28) Ignāvus metuit laborem, timĭdus pericula. 29) Interdum per tres continuos dies pluit. 30) In quanam terra lacte et carne pluit? 31) Non semper facta hominum congruent cum verbis. 32) Metus ingruit in domicilia tam divitum quam pauperum.

33) Incredibilis interdum homines dementia cepit. 34) Occasio saepius fecit fures. 35) Apes ex variis floribus mel conficiunt. 36) Quid vanae leges sine moribus proficient? 37) Abundantia efficit fastidium. 38) Avāro ne Croesi quidem, ditissimi regis, opes sufficient. 39) Jam diu virtute tua omnes ex amicis amicissimos tibi feceras. 40) Ne adulatoribus patefacito aures. 41) Successus improborum plures allexerat. 42) Deus animum praefecit corpori. 43) Neminem despicitote. 44) Caesar insigni celeritate consilia sua perfecit. 45) Promissiones et blandi sermones pelliciunt animos hominum. 46) Minores minora facilius percipient. 47) In rebus secundis[5]) respĭce amicos tuos. 48) Ex Graecis disciplīnis Latinae fluxerunt. 49) Arar[6]) flumen lentissimo cursu in Rhodănum[7]) influit. 50) Equi interdum triginta annos vivunt. 51) Alexander Magnus ne quadraginta quidem annos vixit. 52) Victores olim in loco pugnae congeriem armorum struxerunt. 53) Alexander Tyrum, Phoenīces urbem, oppugnans aggerem in mari extruxit. 54) Aequitas nunquam peperit bellum. 55) Nimia familiaritas parit contemptum. 56) Cornix cornīci nunquam confodiet oculos. 57) Fugit irreparabile tempus. 58) Mors rapit tam juvenes quam senes. 59) Nemo mortalium semper parĭter sapit. 60) Quid puteum juxta fluvium fodis? 61) Aenēas cum sociis in Italiam fugit. 62) Romani virgines a patribus negatas vi rapuerunt. 63) Stultus semper sero sapit. 64) Ne nimium cupias. 65) Avāri semper plura cupient. 66) Veteres muros obsessarum urbium ferreis arietibus concutiebant. 67) Equorum ungŭlae terram concutiunt. 68) Cambȳses, rex Persarum, per ludibrium pectus filiŏli Prexaspis, purpurati sui, sagitta percussit.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Beatius est dare quam accipere. 2) Accipere praestat quam facere injuriam. 3) Acceptissima sunt munera, quae auctor pretiosa fecit. 4) Quem fortuna nimis fovet, eundem

---

5) res. sec. *die glücklichen Umstände.* — 6) jetzt *Saone.* — 7) jetzt *Rhone;* beide Flüsse im südlichen Frankreich.

stultum facit. 5) Improvīsa mors rapuit rapietque multos homines. 6) Ab altero expectes, quod alteri feceris. 7) Quum amicus pauper tibi exiguum dabit munus, placĭde accipito. 8) Nunqam efficies, ut cancer recte ambŭlet. 9) Nihil eripiet fortuna, nisi quod et dederit. 10) Qui proficit in literis et deficit in moribus, plus deficit quam proficit. 11) Duo equites Romani constituerunt Ciceronem domi suae[8]) imparatum confodere. 12) Nisi utile est, quod facimus, stultus est labor stultaque gloria. 13) Dum vives, sperato. 14) Non qui parum habet, sed qui plus cupit, quam habet, pauper est. 15) Quaevis res erit dificilior, quam invītus facies. 16) Est avium tanta fecunditas, ut aliquae sexagēna ova pariant. 17) Non semper illud optimum est, quod ardentissime cupimus. 18) Homines, quo plura habent, eo plura cupiunt. 19) Nulla est voluptas, quae non fastidium pariat. 20) Gratus debet esse, qui accepit beneficium. 21) Barbarorum est[9]) in diem vivere. 22) Graeci deorum honores tribuerunt iis, qui tyrannos necaverant. 23) Pia ac justa vita est via in coelum et in coetum eorum, qui jam vixerunt. 24) Amiticia, quam utilitas constituerit, erit infirma.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Ingenium acuitur exercitatione. 2) A praeceptoribus juventus ad bonas artes acuetur. 3) Interdum etiam boni ab imprŏbis scelestorum facinorum arguuntur. 4) Oedĭpus rex arguebatur parricidii. 5) Multi homines etiamnunc vana superstitione imbūti sunt. 6) Justi hominis manus nunquam imbuentur caede innocentium. 7) Apud veteres ante coenam manus ac pedes abluebantur. 8) Avaritia polluuntur omnia. 9) Principum auctoritas saepe minuitur inconstantia et nimia erga indignos facilitate. 10) Bona spe minuentur molestiae vitae. 11) Numantia, Hispaniae oppidum, a Scipione Aemiliano dirŭta est. 12) In Lapĭtharum cum Centauris[10]) pugna Caeneus, homo nullo telo vulnerabilis, fustibus obrŭtus est. 13) Saliorum[11]) carmina a Numa rege instituta sunt. 14) Certi dies comitiis Romanis[12]) statuti erant. 15) Binae pinnae tributae sunt longis et lubrĭcis anguillis, nullae muraenis. 16) Sanguis a corde in totum corpus distribuitur. 17) Omnes leges dissolvuntur

---

8) *in seinem Hause.* — 9) *für Barbaren ziemt es sich.* — 10) *Lapithen* und *Centauren,* zwei fabelhafte Völkerstämme des Alterthums. — 11) *Salii,* Priester des Gottes Mars. — 12) der Dat. mit *für* zu übersetzen.

seditionibus. 18) Quam multae jam amicitiae dissolutae sunt nimia inter amicos familiaritate! 19) Darēi mater ad pedes Alexandri voluta est. 20) Multi amnes in saltibus Germaniae per devia[13]) praecipites volvuntur.

21) Annosa vulpes haud facile capitur laqueo. 22) Ipse suo laqueo captus est. 23) Fuci ab apibus interficiuntur. 24) Honestum efficitur animi, non corporis viribus. 25) Ingens ille exercitus Francogallorum frigore paene totus confectus est. 26) Multis periculis breve vitae spatium subjectum est. 27) Alea jacta esto. 28) Jugurtha, Numidarum rex, captus et in vincula conjectus est. 29) Romae olim proditores patriae de rupe Tarpēja dejiciebantur. 30) A Posthumio dictatore et ab aliis post eum imperatoribus Romani ad fortitudinem militum excitandam[14]) signa legionum in medios hostes[15]) injecta sunt. 31) In rebus dubiis optime fides amicorum perspiciatur. 32) Hiĕme[16]) interdum propter densissimas nebŭlas sol ipse vix conspicitur. 33) Permultae stellae nudis oculis non adspiciuntur. 34) Perfĭdi merĭto ab omnibus despicientur. 35) Ab Artemisia, Cariae regīna, ingens monumentum in honorem Mausōli regis, marīti ipsius, constructum est. 36) Celeberrima inter curias Romanas a Tullo Hostilio rege extructa est. 37) A Catilīna ad interĭtum urbis Romae omnia jam instructa erant. 38) Caesar a conjuratis tribus et viginti vulneribus perfossus est. 39) In Italia etiamnunc multa antiquitatis monumenta effodiuntur. 40) In pugna apud Mantinēam Epaminōndas, Thebanorum dux, emĭnus sparo percussus est. 41) Inter pugnam ad lacum Trasimennum terra ingenti motu concussa erat. 42) Ibĭcus, clarus poëta Graecus, a latronibus confossus est. 43) Marcellus, clarissimus ille Hannibălis apud Nolam victor, ab equitibus Numidicis in insidiis collocatis percussus est. 44) C. Valerius Procillus, nobilis Gallus, Caesaris familiaris et hospes, captus a Germanis, ab equitibus Romanis manibus hostium ereptus est. 45) Europa, Agenŏris regis filia, a Jove, in tauri speciem mutato, rapta est. 46) Romŭlus ejusque socii initio rapto vivebant. 47) Nos omnes uno eodemque fato rapimur. 48) Rebus bello gestis[17]) imprīmis parta est immortalitas. 49) E lignis putrefactis vermicŭli pariuntur. 50) Honesta vita et sapientiae studio paritur pulcherrima gloria.

---

13) ergänze *loca*. — 14) ad excit. *um zu erregen*. — 15) in med. host. *mitten unter die Feinde*. — 16) *im Winter*. — 17) res b. gestae *Kriegsthaten*.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Laudari et amari gloriosum est, metui vero et in odio esse detestabile. 2) Ubi tantum rapto vivitur, nemo est ab[18]) altero tutus. 3) Tanta velocitate prima Romanorum classis comparata est, ut intra sexaginta dies centum sexaginta naves omnibus ornamentis instructae sint. 4) A. C. Manlio, socio Catilinae, apud Faesŭlas, Hetruriae oppidum, arma contra rempublicam capta sunt, cum magna multitudine latronum cujusvis generis et veterum militum, qui rerum novarum[19]) cupidi erant. 5) Si quis[20]) Romae in conspectu populi cum telo fuerat, de eo, tamquam de seditioso homine, quaestio instituebatur. 6) In prima pugna navali inter Carthaginienses et Romanos ab his ferreae manus machĭnaeque aliae, quae ante certamen multum ab hostibus derisae erant, in naves Poenorum injectae sunt. 7) Tantum terrorem adventus classis Romanae Poenis injecit, ut Carthago paene primo impĕtu capteretur. 8) Regŭlus, Romanorum in Africa dux, nec Punico carcere nec legatione suscepta motus est, ut suis pacem cum hostibus suaderet. 9) Teuta, Illyriorum regīna, imperavit, ut legati Romani secūri percuterentur. 10) Inter bellum Punicum primum et alterum cum nonnullis gentibus minoribus a Romanis dimicatum est, quarum pars ditioni eorum subjecta est. 11) Saguntus, vetus et opulenta Hispaniae urbs, ab Hannibăle dirŭta est, quod Punicae perfidiae documentum alterius belli Punici initium fuit. 12) C. Duillio, qui inter Romanos primus victoriam navalem reportaverat, a civibus novi atque eo usque[21]) inauditi honores tributi sunt. 13) Quis ignōret sceleratissimum illum Imperatorem Romanum, Neronem, cujus impiae manus quum multorum aliorum tum[22]) ipsius matris sanguine imbutae sunt? 14) Imperator Galba, qui post Neronem regnabat, propter nimiam erga indignos facilitatem a plerisque despiciebatur. 15) Quidam homines, quamvis minime sint saevi et atroces, tamen a plerisque metuuntur. 16) Quum Macedŏnes Tyrum urbem obsiderent, ab his ingens agger in ipso mari extructus est. 17) Fabius Maximus, pugnam perpetuo evitando[23]), id spectabat, ut Hannibal non virtute sed mora comminueretur. 18) Etiam Germania a Romanis esset domita, nisi celebri in saltu Teutoburgensi clade erepta esset ex ser-

---

18) wegen *tutus* mit *vor* zu übersetzen. — 19) res novae *Neuerungen, Empörungen.* — 20) *wenn jemand.* — 21) eo usque *bis zu der Zeit.* — 22) quum — tum *sowohl — als besonders auch.* — 23) pugn. p. evit. *durch beständiges Vermeiden einer Schlacht.*

vitute. 19) Quum Pompejus Posidonium philosŏphum visitaret, vehementer hujus artus laborabant; neque tamen doloribus prorsus confectus est philosŏphus, sed coram eo cubans graviter et copiose disputavit. 20) Omnes pueri et puellae, qui a Romanis in Hispania capti erant, Scipionis ducis sanctitate suis restituti sunt. 21) Quum Hannibal Romam obsideret, argentariae tabernae[24]) urbis ab eo hastae subjectae sunt[25]). 22) Nec melius unquam acies instructa, nec acrius pugnatum est, quam apud Zamam[26]. 23) Philippus, Macedŏnum rex, postquam bis fugatus, bis castris exutus est, ad tumulos, quos Cynoscephălas vocant, justo proelio[27]) cum Romanis certavit. 24) Animi corporisque vires, quum continuo labore hebĕtes sint factae, modico reficiantur otio.

II. VERBA MUTA.

B. Verba auf *do* und *to*.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *si* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Samnītes in furcŭlis Caudīnis exercitui Romano exitum clauserant. 2) Amicum ne joco quidem laedas. 3) Xerxes, Persarum rex, Graeciam innumeris copiis invasit. 4) Galliam Caesar in commentariis in tres partes dividit. 5) Non solum humanum sed divinum quoque jus perjurio laedes. 6) Praeconi Romano Graeciae libertatem in theatro Nemĕae[28]) enuntianti tota frequentia ingenti cum strepitu applausit. 7) Ex summa laetitia interdum repente homines tristitia invadit. 8) Scipio Numantiam urbem operibus clausit. 9) Romani Persen, Macedonum regem, captum in custodiam incluserunt. 10) Hostes re frumentaria[29]) excludere belli dux praecipue studet. 11) Fabri marmor cuneis dividunt. 12) Pueri Romani sicut nostri pila et trocho[30]) luserunt. 13) Parvuli ludendo instituuntur. 14) Impius puer illudet praecepta magistri. 15) Ne unquam illude auctoritatem magistratuum. 16) Cantui versibusque Neronis

---

24) arg. tab. *Wechselbude.* — 25) hastae aliquid subjicere *etwas verauctioniren.* — 26) die Schlacht, in welcher Hannibal vom Scipio besiegt wurde. — 27) *in einer förmlichen Schlacht.* — 28) *zu Nemea,* wo festliche Spiele gefeiert wurden. — 29) res frumentaria *die Lebensmittel.* — 30) der Abl. durch *mit* zu übersetzen.

populus Romanus invītus applausit. 17) Avarus corrādit omnia. 18) Mures roserunt reliquias coenae. 19) Homo importūnus ceteros cubĭtis hinc et illinc[31]) trudit. 20) Manlius Gallos muris Capitolii detrusit. 21) Cicero insidiis Catilinae feliciter evasit. 22) Temerarius periculo non semper evadet.

2. Mit Silbenverdoppelung.

1) Multi bello cadunt ense. 2) Quam multas urbes perdidit amor libertatis! 3) Fortuna reddit insolentes. 4) Oleum et operam perdidi. 5) Quibusdam hominibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos est. 6) Flaminīnus Consul Graeciae veterem statum et libertatem reddidit. 7) In pugna ad Issum[32]) amplius centum milia Persarum ceciderunt. 8) Pausanias, rex Lacedaemoniorum, in suspitionem civium suorum incĭdit. 9) Ne occidito. 10) Veteres senatus consulta in aes inciderunt. 11) Bessus, Darēi percussor, vivus in manus Alexandri incĭdit. 12) Nondum omnium dierum sol occĭdit. 13) Ulixes omnes uxoris suae procos occīdit. 14) Lapicīdae lapides e saxis excīdunt. 15) Fessis militibus gladii de manibus excĭdunt. 16) Alcibiădes in invidiam civium suorum rursus recĭdit. 17) Messor frumentum falce recīdit. 18) Homines cauti unumquodque verbum quasi statēra auraria[33]) pendunt. 19) Res non verba penditote. 20) Plato totam vitam in sapientiae studium impendit. 21) Lucullus opes suas luxuriae voluptatibusque impendit. 22) Smerdis, Cambȳsis regis frater, solus ex toto Persarum exercitu ingentem Aethiŏpum arcum tetendit. 23) Supplices manus ad coelum tendimus. 24) Captīvae mulieres Persicae supplices manus ad Alexandrum tetenderunt. 25) Ne desidiae vestrae praetendite alienam. 26) Multi olim moribus suis asperis nomen sapientis praetenderunt. 27) Jugurtha rex animum in regna cognatorum intendit. 28) Attendite animos ad praecepta magistrorum. 29) Marius duobus acerrimis proeliis cum Germanis contenderat. 30) Pompejus cum Caesare de principatu contendit. 31) Galli, Brenno duce[34]), Romam[35]) ipsam contenderunt. 32) Cimon pacis inter Athenienses et Lacedaemonios confirmandae[36]) causa Spartam[35]) contendit. 33) Eandem incudem tunditis. 34) Agricŏlae radīces herbarum ferreis pilis contundunt. 35) Mendaci homini non iterum credemus. 36) Nero blanditiis adulatorum nimium credidit. 37) Romŭlus Romam urbem condidit. 38) Phoe-

---

31) hinc et illinc *von allen Seiten.* — 32) zwischen Alexander dem Grossen und Darius. — 33) stat. aur. *die Goldwage.* — 34) *unter Anführung des Brennus.* — 35) nach R., nach Sp. — 36) pac. conf. c. *um den Frieden zu befestigen.*

nīces multa in Africae ora oppida condiderunt. 39) Multa Asiae oppida fidei Alexandri se tradiderunt. 40) Totus Antonii exercitus pedester post proelium navale apud Actium Octaviano se dedidit. 41) Nero, a senatu hostis patriae judicatus, in liberti villa se abdidit. 42) Avari pecuniam undĭque corrasam in cistis abscondunt. 43) Caesar, ille clarissimus imperator Romanus, etiam librum grammaticum edidit. 44) Idem ille Caesar splendidissima spectacula suis sumptibus[37]) populo Romano edidit.

3. *di* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Deus ipse solem quasi lumen accendit. 2) Divitiae aliorum accendunt invidiam avāri. 3) Graeci Trojam captam incenderunt. 4) Mors Patrocli amici Achillis iram incendit. 5) Regis patriaeque salutem defendamus. 6) Archimēdes Syracūsas fortiter defendebat. 7) Promethĕi, saxo in Tartăro alligati, jecur vultur quotidie exedit. 8) Luxuriosi ac prodĭgi jam maximas opes comederunt. 9) Tarentīni dignitatem populi Romani contumeliis offenderant. 10) Catilina totum senatum petulantia sua offendit. 11) Accusatores apud Athenienses accusatos auricŭlis prehendere solebant. 12) Vites adminicula tamquam manibus apprehendunt. 13) Mente nostra omnia comprehendere studemus. 14) Caesar nomina paene omnium militum memoria comprehendit. 15) Milites Antonii Ciceronem fugientem deprehenderunt. 16) Caesarem ob nimiam gloriae cupiditatem jure reprehendimus. 17) Vites scandunt per ramos pōpulorum. 18) Alexander Magnus ipse primus muros Mallorum[38]) ascendit. 19) Octavianus jam adolescens summum gradum dignitatis ascenderat. 20) In suum damnum Phaëthon Solis patris currum conscenderat. 21) Romani primo proelio navali cum Poenis tamquam in planitie pugnantes in naves hostium descenderunt. 22) Cerbĕrus[39]) ore ut serpens stridebat. 23) Sagittae stridunt in aĕre. 24) Plebs Romana magnam vim frumenti ex agro Tarquiniorum[40]) in Tibĕrim fudit. 25) Saepissime vehemens impetus equitatus peditum ordines confudit. 26) Plerique fluvii in mare se effundunt. 27) Catilina luxurie totum patrimonium effuderat. 28) Dii vim suam longe lateque[41]) diffundunt.

---

37) *auf seine Kosten.* — 38) die Maller waren ein indisches Volk. — 39) der Hund, welcher den Eingang der Unterwelt bewachte. — 40) *die Tarquinier* waren die vertriebene Königsfamilie. — 41) *weit und breit.*

4. Andere Abweichungen, besonders ein doppeltes *s* im Supinum.

1) Cede majori. 2) Ob impotentiam foeneratorum plebs Romana in sacrum montem secessit. 3) Cicero Clodii tribuni scelesta consilia metuens cessit ex Italia. 4) Caesar veluti hostis cum armis ad patriam urbem[42]) accessit. 5) Divini numinis auxilium et gratiam implorantes ad aedes sacras accedimus. 6) Dei benevolentia anno sterĭli plures fertĭles antecedunt. 7) Crudelissimo Imperatori Domitiano clementissimus ille Titus antecesserat. 8) Temporibus concede. 9) Alexander omnibus captis Persis libertatem et vitam concessit. 10) Pompejus, ex Syria decedens, Posidonium philosŏphum visitavit. 11) Senatus Romanus decretis suis adversus Caesarem non decessit. 12) De bello[43]) adversus Philippum, Macedŏnum regem, Atheniensium civitas diu in duas partes discessit. 13) Nunquam ex animis nostris discedat clarorum virorum memoria. 14) Catilina iracundus excessit Roma. 15) Plerique milites excedunt incolŭmes proelio. 16) Inter quintum triumphum et necem Caesaris ne annus quidem intercesserat. 17) Utĭnam nulla aegritudo nostro gaudio intercedat. 18) Philosŏphi graviter incedere solebant. 19) Navĭgantibus terra recedere videtur. 20) Galli fortasse sponte[44]) a Capitolio obsesso recesserunt. 21) In acie bene instructa recentes defatigatis succedunt. 22) Imperatori M. Aurelio filius patris[45]) dissimillimus Commŏdus successit. 23) Remi scindunt fluctus. 24) Pecŏra sciderunt radīces herbarum. 25) Pontem in Rheno factum Caesar rursus rescĭdit. 26) Bello Punico tertio Carthaginienses in usum novae classis tecta domusque rescideruṇt. 27) Athon promontorium Xerxes a continenti abscĭdit. 28) Hannibali nuntius de fratris interitu spem omnem abscĭderat. 29) Fabri trabes aut saxa securibus cuneisque discindunt. 30) Suspitio discindit amicitias. 31) Irati dentibus frendunt. 32) Alienam messem metis. 33) Florum sucum apes metunt. 34) Pontius, Samnitium dux, Romanos sub jugum[46]) misit. 35) Pyrrhus rex legatum Romam[47]) misit pacem petiturum[48]). 36) Ne puero gladium committas. 37) Catilina per omnes Italiae partes socios suos dimisit. 38) Hetruriae incŏlae dominatione Sullae agros bonaque omnia amiserant. 39) Libertatem nemo bonus nisi cum anima simul amittit. 40) Caesar jussus

---

42) p. u. *die Vaterstadt.* — 43) *in Betreff des Krieges.* — 44) *freiwillig.* — 45) hier *seinem Vater.* — 46) das Joch bestand aus drei in der Form eines Galgens aufgestellten Lanzen, und darunter wegzuziehen war im Alterthume für Besiegte die grösste Schande. — 47) nach R. — 48) *der um Frieden bitten sollte.*

a senatu tamen exercitum suum non dimisit. 41) Timoleontem mater tamquam fratricīdam et impium domum ad se[49]) non admisit. 42) Imperator Augustus quemlibet ad se admisit. 43) Aliquamdiu Imperator Tiberius summam reipublicae curam Sejano commiserat. 44) Caesar acerrimum proelium cum Helvetiis commisit. 45) Ne in summo quidem periculo demittite animos. 46) Turpissimum Lacedaemoniis erat in pugna scutum emittere manu. 47) Verres, Siciliae praetor, sine causa[50]) innocentes in carcerem conjecerat ac reos emiserat. 48) Cassius naves pice completas in Caesarianam classem immisit. 49) Percussores Alcibiadis tela procul in eum immiserunt. 50) Eques imperītus omittet habēnas. 51) Omitte curas inānes. 52) Multae gentes Gallicae se suaque omnia potestati Caesaris permiserunt. 53) Interdum magnitudo fluminis non permittit pontem in eo facere. 54) In pugna apud Regillum lacum Posthumius, Romanorum dux, Castŏri atque Pollūci templa promisit. 55) Alexander militibus opes totius Orientis promiserat. 56) Lacedaemonii in bello contra fugitivos auxilia Atheniensium remiserant. 57) Phocion Atheniensis Philippo regi dona remisit. 58) Platăni ramos late pandunt. 59) Multa petentibus desunt multa. 60) Reges et populi sibi praesidia ab urbe Roma petebant. 61) Carthaginienses frustra a Romanis pacem petiverunt. 62) Ante pugnam Marathoniam Athenienses ab omnibus Graeciae civitatibus auxilia petiverant. 63) Justitia nullum expĕtet praemium, nullum pretium. 64) Fortes et sapientes viri non praemia recte factorum[51]) appetere solent sed ipsa recte facta. 65) Certum quoddam[52]) hominum genus Romae falsis criminibus agros bonaque omnia civium suorum appetebat. 66) Romani in Asia cives etiam atque etiam[53]) auxilium reipublicae adversus Mithridātem, Ponti regem, expetiverunt. 67) Donum datum ne repetamus. 68) Samnītes bellum adversus Romanos ter repetiverunt. 69) Aves super arbores sidere solent. 70) In quattuordecim ordinibus equites Romani in theatro consederunt. 71) Pausanias, Lacedaemoniorum rex, a suis capitis damnatus, profŭgus in templum Neptūni[54]), in ara consēdit. 72) Ex copiis Curionis, ducis Caesarianarum partium in Africa, plerique in itinere adversus Jubam regem substiterant. 73) Ne substiteris in medio cursu[55]). 74) Hiĕme flumina

---

49) d. ad se *in ihr Haus.* — 50) *ohne rechtlichen Grund.* — 51) recte factum *die wackere That;* die Lateiner setzen zu *factum* oft das Adverbium, wir dagegen zu *That* das Adjectivum. — 52) c. quodd. g. *eine gewisse Art; quidam* dient nur zur Verstärkung von certus. — 53) et. atq. et. *gar sehr.* — 54) *Zuflucht suchend in dem Tempel des N.* — 55) *in der Mitte des Laufes.*

frigore constiterunt. 75) Ante pugnam adversus Helvetios pars copiarum Caesaris in summo, pars in medio monte[56]) constĭtit. 76) E luxuria existit avaritia. 77) Bello Punico secundo populus Romanus post multas clades tandem victor extĭtit. 78) Cantăbri omnium Hispaniae populorum maxime Romanis armis restiterant. 79) Coriolanus nullis civium suorum precibus motus tamen matris precibus non restĭtit. 80) Clodius, tribūnus plebis, omnibus bonis consiliis obstitit. 81) Cicero criminibus improborum civium diu fortiter restiterat. 82) Tigrānis, Armeniae regis, copiae primo statim Romanorum impĕtu terga verterunt. 83) Decem milia Atheniensium centum amplius milia Persarum in fugam verterunt. 84) Luxuries jam totas civitates evertit. 85) Caesar omnia divina humanaque jura pervertit. 86) Numa Pompilius animos Romanorum ad religionem advertit. 87) Fide, sed cui fidas, vide.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Non semper iidem metent, qui sementem fecerint. 2) Certa amittimus, dum incerta petimus. 3) Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu! 4) Majora perdes, nisi minora servaveris. 5) Manlius consul filium, quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem[57]) occīdit. 6) Populus Romanus Camillum exilio multavit, quod inīque inter exercitum et plebem praedam Vejentem divisisse videbatur. 7) Summum numen obsĕcro, ut omnia, quae facitis, quaeque facietis, prospĕre cedant nobis, vobis, omnibus. 8) Istuc beneficia interdum evādunt, uti, quem fortunae nostrae participem fecerimus, is potissimum gravis adversarius nobis existat. 9) Amittet merĭto proprium, qui alienum appetet. 10) Sulla tum erat violentissimus, quum faciem ejus sanguis invaserat. 11) Invītus Hannibal navem ascendit, qua ex patria fugeret. 12) Multi fuerunt, qui tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerent et ad otium perfugerent. 13) Imperatores Romani triumphum petentes extra urbem subsistere ibīque decretum frequentis senatus expectare solebant. 14) Dum Hannibal urbi Romae immĭnet, Romani ex urbe copias in Hispaniam miserunt. 15) Omnia tibi affătim suppĕtent, si tibi diligentia non defuerit. 16) Atheniensis quidam post pugnam Marathoniam rudentem navigii Persici comprehendit, idque solus retinere

---

56) mons summus *die Spitze des Berges*, m. medius *die Mitte des Berges*. — 57) qu. vict. *obgleich er Sieger war*.

studuit. 17) Quoniam omnia commŏda nostra, jura, libertatem, salutem denĭque legibus obtinemus, a legibus ne recedamus. 18) Catilina in senatu Ciceronem consulem non genuīnum urbis Romae civem vocavit, multaque alia maledicta in eum addidit. 19) Nullam rem verbis defendas, nisi quam et animo probes. 20) Primum bellum civīle inter Romanos ambitione Sullae et Marii motum est, qui summos in civitate honores simul petiverunt. 21) Scythas, qui Persarum castra ceperant, Cyrus inter epulas et pocula improvīso invasit. 22) Philippo, Macedŏnum regi, Perses filius successit, qui Macedoniam proelio illo ad Cynoscephălas non in perpetuum[58]) superatam putabat. 23) Hic postrēmo in insulam Samothrācen fugit, cujus quasi templa et arae a[59]) Romanis ipsum defenderent. 24) Consules Romani classem, quam Poeni eis tradiderant, in ipso conspectu Carthaginis urbis incenderunt.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *si* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Solis cursus annuus divisus est in quattuor partes: in ver et aestatem et autumnum et hiĕmem. 2) Sacra scripta dividuntur in vetus et novum testamentum. 3) A veteribus ludebatur talis et tessĕris. 4) In theātris non semper optimo generi histrionum maxime applauditur. 5) Ab Hannibale Saguntum contra fidem Romanis datam obsidione clausum est. 6) Pacis tempore Romae porta Jani templi clausa est. 7) Animus in corpore concluditur. 8) Regŭlus, Romanorum dux, a Carthaginiensibus captus in carcerem inclusus est. 9) Perjurio Deus quoque laeditur. 10) Dignitas populi Romani a Jugurtha, Numidiae rege, laesa erat. 11) Gemma illisa tinnītum reddit. 12) Ventis et rupibus eliduntur naves. 13) Ab avāris omnia corraduntur. 14) Ferrum rubiginae roditur. 15) Importūnus foras trudatur. 16) Primi ex Gallis Capitolii muros ascendentibus a Manlio detrusi sunt.

2. Mit Silbenverdoppelung.

1) Marcellus, Romanorum dux, Viridomări, caesi ab eo Gallici regis, arma in templo Jovis Feretrii[60]) suspendit.

---

58) in perp. *für immer.* — 59) def. aliquem ab aliquo *Einen gegen jemand vertheidigen.* — 60) ein Beiname des Juppiter.

2) Plerique Imperatorum Romanorum occisi sunt. 3) Solonis leges in aes incisae sunt. 4) A multis hominibus plus temporis[61]) otio et quieti quam labori impenditur. 5) Ab Alfrēdo, Anglorum rege, quotidie quarta pars temporis studiis literarum impensa est. 6) In pugna ad Issum alterum[62]) Persarum cornu ad mare usque extendebatur. 7) Species veri nunquam praetendatur falso. 8) Saxa mari adjacentia tunduntur undis. 9) Caeneus ferro non vulnerandus, tota fere silva immissa contusus, a Centauris occisus est. 10) Mendāci haud temĕre[63]) a quoquam credetur. 11) Nuntio de Philippi medici perfidia ab Alexandro non temĕre creditum est. 12) Aetate reddimur prudentiores. 13) Optima heriditas a patribus traditur filiis, omnique patrimonio[64]) praestantior, gloria virtutis rerumque gestarum. 14) Post caedem Imperatoris Pertinācis imperium Romanum a praetorianis militibus[65]) venditum est. 15) De Corinthii aeris[66]) inventione varia a scriptoribus veteribus tradita sunt. 16) Magna copia librorum quotannis editur. 17) Divitiarum affluentia et Lacedaemoniorum et Romanorum mores perditi sunt. 18) Omnes opes Darii perfidia cujusdam satrăpae Alexandro deditae sunt.

3. *di* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Lacedaemoniorum exercitus accensi sunt tibiis et fidibus, Romanorum legiones cornibus et tubis. 2) Troja capta a Graecis incensa est. 3) Sapiens contumeliis stultorum non offenditur. 4) Clodius vestītu sexum suum occultans[67]) deprehensus est in domo Caesaris. 5) Terra undīque aĕre circumfusa est. 6) Antiŏchi, Syriae regis, copiae gravissimo proelio a Romanis fusae fugataeque sunt. 7) Numantia, Hispaniae civitas, multos annos contra numerosos Romanorum exercitus a civibus solis fortiter defendebatur. 8) A Tacĭto, rerum Romanarum scriptore[68]), civium mores acerbissime reprehensi sunt. 9) Aliorum divitiae a parasītis comeduntur. 10) A prodĭgis filiis saepe patrimonia avarorum parentum profunduntur.

4. Andere Abweichungen, besonders ein doppeltes *s* im Supinum.

1) Brevibus momentis interdum summa[69]) vertuntur.

---

61) *mehr Zeit.* — 62) *der eine*, wenn nur von zweien die Rede ist. — 63) h. t. *nicht leicht.* — 64) der Abl. nach dem Compar. statt *quam* mit dem Nominativ. — 65) so hiess die Leibwache der Röm. Kaiser. — 66) dieses Erz bestand aus einer Mischung von Gold, Silber und andern Metallen. — 67) er war nämlich als Frau verkleidet. — 68) rer. Rom. scr. *Römischer Geschichtschreiber.* — 69) hier *die wichtigsten Dinge.*

2) Male imperando summum imperium amittitur. 3) Omne nimium vertitur in vitium. 4) Calamitosum est, bonis everti. 5) Pars classis Antiŏchi, Syrae regis, Hannibăli commissa est. 6) Ad Cannas atrocissimum inter Romanos et Carthaginienses proelium commissum est. 7) Matūrae segetes metantur. 8) Vellera circa naves ad arcenda tela expansa erant. 9) Consiliis Patrum[70]) saepius a tribunis plebis intercessum est. 10) Syracusae expugnatae militibus Romanis ad diripiendum concessae sunt. 11) Quorundam animalium ungulae sunt fissae. 12) A Judaeis lugentibus tunĭca discinditur. 13) Pons in Tiběri ab Horatio Coclĭte fortiter defensus a Romanis quam velocissime[71]) rescissus est. 14) Post diuturnum et cruentissimum bellum pax tandem a Carthaginiensibus petita est. 15) Summum imperium a Caesare cupidissime appetebatur. 16) Sape pecuniae provincialibus a proconsulibus praetoribusque Romanis ereptae apud judices[72]) repetitae sunt. 17) Gallorum animi saepius a Caesare avertebantur. 18) Eheu, quam multae nobiles urbes ab hostibus eversae sunt!

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Porta patens esto nulli claudaris honesto. 2) Iisdem diebus, quiebus Roma ab Hannibale obsidebatur, ager, in quo hic cum exercitu constiterat, Romae sub hasta venditus[73]) est. 3) Quo studiosius scelus abscondetur, eo magis apparebit. 4) Catilīna constituerat, ut duodecim simul opportūna loca urbis incenderentur. 5) Bellum contra Achaeos a Romanis susceptum est, quia legati eorum a Critolāo Corinthio offensi erant. 6) Quum Corinthus a Romanis militibus diripiebatur, immensa copia signorum, tabulārum, vestium rapta, incensa, projecta est. 7) Si bellicosis gentibus arma eripiuntur, hoc aeque ab iis accipitur, ac si[74]) manus eis abscinderentur. 8) Hostilius Mancīnus, qui turpem cum Numantīnis pacem fecerat, a populo Romano ignominia ac pudore flagranti hostibus deditus est. 9) A Scipione Aemiliano primum vetus disciplina in exercitu restituta, deinde proelium cum Numantīnis commissum est. 10) Numantīni, quum frustra Romanos identĭdem ad pugnam provocassent, in ultimam[75]) rabiem ac furorem conversi ipsi se interfecerunt. 11) A senatu Romano legati in Africam missi sunt, qui Numidiam inter Jugurtham et Adherbălem dividerent. 12) Jugurtha post diuturnum bellum

---

70) *Patres* wurden die Römischen Senatoren genannt. — 71) *so schnell als möglich.* — 72) ap. jud. *vor Gericht.* — 73) sub hasta vendere *verauctioniren.* — 74) *als wenn.* — 75) ultimus hier *der äusserste.*

a Romanis captus et in carcerem subterraneum detrusus est. 13) Cimbri et Teutŏni agros a senatu petiverunt, neque tamen quidquam[76]) eis concessum est. 14) Post pugnam apud Aquas Sextias[77]) Teutobochus rex, postquam frustra fugam tentavit, in proximo saltu comprehensus est. 15) Captīvis barbăris[78]), qui antea inermes quoque trucidaverant, manus abscisae sunt. 16) A Mithridāte, Ponti rege, duces cum exercitibus in Graeciam missi sunt, qui insulas et continentem terram occuparent. 17) Lucullus, imperator Romanus, tantam stragem inter copias Mithridatis edidit[79]), ut Granīcus et Aesēpus amnes cruenti redderentur. 18) Alexandrum pulvere ac sudore simul perfusum invitavit liquor Cydni fluminis, ut calidum etiamtum corpus ablueret. 19) Sed quum primum in amnem descendit, subito horrore artus rigere coeperunt, et pallor deinde toti corpori suffusus est[80]). 20) Quum Pompejus adversus pirātas navigaret: per omnes portus ac sinus naves distribuit, ut hostes undique arcte includerentur. 21) Pons Rhodăni a Caesare rescissus est, ne Helvetii eo[81]) flumen trajicerent. 22) Ipsa Britannia, quae a ceteris terris Oceăno dividitur, a Caesare bello petita[82]) est. 23) Quum Caesar Ravennae[83]) abesset, et iter per Alpes hiĕme interclusum esse videretur: omnes fere Gallicae gentes rebellarunt. 24) Gergovia, Arvenorum urbs, quae octoginta milibus armatorum defendebatur, a Caesare fame domita est.

C. Verba auf *bo* und *po*.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *si* im Perfectum, *tum* im Supinum.

1) Apud plerasque Asiae gentes plures mulieres singulis viris[84]) nubere solent. 2) Octavia, Caesaris Augusti soror, nupsit Antonio[84]). 3) Cicero librum de amicitia scripsit.

---

76) neque quidquam ist gleich *nihil*. — 77) so hiess der Ort in Süd-Frankreich, wo Marius, der Röm. Feldherr, die Teutonen besiegte, jetzt *Aix*. — 78) so wurde von den Alten ein jeder genannt, der nicht Grieche oder Römer war. — 79) stragem edere *ein Blutbad anrichten*. — 80) pallor suffunditur c. Dat. *Blässe giesst sich über etwas aus*. — 81) *vermittelst derselben*. — 82) bello petere aliquem *Einen angreifen*. — 83) *zu Rav.*, eine Stadt in Ober-Italien. — 84) der Dat. durch den Accus. zu übersetzen.

4) Phoenīces artem scribendi alias quoque gentes docuerunt. 5) Brevitas literarum tuarum me quoque breviorem in scribendo fecit. 6) Bello sociali Romani etiam ex libertis supplementum legionibus conscripserunt. 7) Tacĭtus in annalibus Imperatoris Tiberii, saevissimi tyranni, mores acriter describit. 8) Caligŭla etiam Deorum signis nomen suum inscripsit. 9) Caesar novas leges civitati Romanae praescripsit. 10) Equi carpunt gramen. 11) Labor carpit vires. 12) Ne quid[85]) jocus de gravitate decerpat. 13) Elephas pedibus[86]) confossus genibus repsit in catervas hostium. 14) Pravae opiniones irrēpunt interdum in mentes hominum. 15) Manus apta est ad scalpendum. 16) Artifices signa ex lapidibus exculpunt.

2. Unregelmässige Verba.

17) Apud Graecos in conviviis virorum mulieres non accumbebant. 18) Post pugnam Pharsalicam Cicero in philosophiae studium imprīmis incubuit. 19) Curtius, eques Romanus, voluntariam pro patria mortem occubuit. 20) In proelio ad Zamam Hannibal virtuti Scipionis succubuit. 21) Cleopătra regīna in lautissimo Antonii epulo bibit margarītam, pretio immenso[87]), acēto liquefactam. 22) Alexander aegrōtans medicamentum a Philippo praebitum sine ullo metus vel suspitionis indicio ebĭbit. 23) Quaedam gentes de vita post mortem futura perversam imbiberunt opinionem. 24) Haud scio an[88]) olim maris fluctus Europam ab Asia abruperint. 25) Colloquia prava corrumpunt bonos mores. 26) Ignes subinde e vertice Aetnae erumpunt. 27) Clodius, ille furiosus tribunus plebis, cum perditorum civium manu orationem Catonis interrupit. 28) Barbări finitĭmi in fines imperii Romani fere quotannis irruperunt. 29) Post proelium Cannense pars militum Romanorum per medios hostes[89]) perrupit. 30) Aequor remis navium strepit.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Boni pastoris est[90]) tondere oves non deglubere. 2) Quum Catilīna in senatu Ciceronem objurgare inciperet: omnes obstrepuerunt, eumque hostem atque parricīdam vocaverunt. 3) Sulla victor non solum malos cives, sed omnes, quorum divitias satellites ejus desiderabant, proscripsit. 4) Dum Syracusae jam a Romanis militibus diripiuntur, Archimēdes

---

85) *dass nur nicht etwas.* — 86) pedibus *an den Füssen.* — 87) pret. imm. *von unermesslichem Werthe.* — 88) haud scio an *vielleicht.* — 89) *mitten durch die Feinde.* — 90) *es ist eines guten Hirten Pflicht.*

formas geometricas in pulvere describebat. 5) Albīni consulis exercitum ita corruperat rex Jugurtha, ut Romani sua sponte terga verterent. 6) Si rota defuerit, tu pede carpe viam!

b. Passivum.

1) Annus a Numa rege in duodecim menses descriptus est. 2) Singulis libris historiarum Herodŏti singula Musarum nomina inscripta sunt. 3) Omnibus hominibus a natura ipsa certae quaedam leges praescribuntur. 4) A triumviris[91]) magnus numerus optimorum civium proscribebatur. 5) Romŭlus, ut quidam putabant, a Patribus in campo, quo[92]) exercitum recensebat, discerptus est. 6) M. Agrippae tumŭlo ab Augusto elogium insculptum est. 7) Quum Saturnīnus, seditiosus ille tribunus, in Capitolium cum suis profugisset: fistŭlae arcis ab obsidentibus civibus abruptae sunt. 8) Pecunia Jugurthae regis senatus Romanus corruptus est. 9) Labiēni legati cum Vatinio oratio[93]) telis undĭque missis interrupta est. 10) Tantus Germanorum[94]) terror in castris Caesaris erat, ut vel testamenta a militibus Romanis scriberentur.

D. Verba mit einem Gaumbuchstaben *g (gu), c, ct, qu* und *h* vor dem *o*.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *xi* im Perfectum, *ctum* im Supinum.

1) Tarquinius Priscus rex Romam urbem muris cinxit. 2) Una clade Caesar Helvetios prorsus afflixit. 3) Bis Alexander cum Darēo conflixit. 4) Interĭtus legionum Quintilii Vari imperio Romano gravissimum vulnus inflixit[95]). 5) Xerxes, Persarum rex, Hellespontum ponte junxit. 6) Sabīni, affinitatis suae cum Romanis immemŏres, cum Latīnis se conjunxerunt. 7) Imperator Diocletianus Maximianum sibi socium imperii adjunxit. 8) Mulucha flumen Jurgurthae et Bocchi[96]) regnum disjungebat. 9) Fortuna neminem ab inconstantia et temeri-

---

91) *Triumvirn* nannten sich Octavianus, Antonius und Lepidus, welche die Freiheit des Römischen Volkes gänzlich unterdrückten. — 92) vor *quo* ergänze noch einmal *in*. — 93) beide sollten über die Friedensbedingungen zwischen Pompejus und Caesar unterhandeln. — 94) der Genit. mit *vor* zu übersetzen. — 95) infl. vulnus *eine Wunde beibringen*. — 96) König von Mauretanien im nördl. Africa.

tate sejungit. 10) Deus regit fata hominum. 11) Difficile est regere hominum animos. 12) Inveterata vitia non facile corrigas. 13) Multo vehementius Macedŏnes sub Perse rege quam sub patre ejus Philippo ad bellum contra Romanos consurrexerunt. 14) Post Caesaris necem boni cives denuo ad spem libertatis se erexerunt. 15) Gubernator navem in portum dirigit. 16) Rustĭci cum die surgere solent. 17) Gens quaedam apud Plinium[97]) memorata testudinum superficie casas tegebat. 18) Satellĭtes armis principis salutem minus tegent quam amor et fides civium. 19) Imperator Tiberius iram hilări, laetitiam tristi fronte contegere callebat. 20) Cicero diligentia sua consilia conjuratorum detexit. 21) Portus naves a ventis protĕgunt. 22) Veteres Romani in balneis corpus unguere solebant. 23) In gymnasiis[98]) certaturi corpora oleo perunxerunt. 24) Saepius difficillimum est, vera distinguere a falsis. 25) Imber densissimus rogum Croesi regis, jam undĭque flammis circumfusum, subĭto extinxit. 26) Conubium Pompeji et filiae Caesaris odia utriusque non restinxit. 27) Perses, Macedŏnum rex, Thraces quoque in partes suas traxerat. 28) Bos currum trahit, non currus bovem. 29) Xerxes, Persarum rex, innumeras copias adversus Graecos contraxit. 30) Nimia pugnandi cupiditas legatorum Romanis fatale illud cum Gallis bellum contraxerat. 31) In proelio cum Nerviis[99]) Romani milites propter celerem hostium impetum ne tegimenta quidem scutis detraxerant. 32) Eumĕnes, diu ab Antigŏno[100]) in castello quodam Phrygiae[101]) oppugnatus, tamen se ac suos omnes incolŭmes extraxit. 33) Imperator Nero epulas a medio die ad mediam noctem protraxit. 34) Hannibal Capuam et multas alias Italiae civitates a foedere cum Romanis retraxit. 35) Camillum triumphantem albi vexerunt equi. 36) Quaedam flumina aurum vehunt. 37) Limum, sicuti Nilus, non invĕhunt in agros Euphrātes et Tigris. 38) Mendāci homini ne verum quidem dicenti credere solemus. 39) Thales, unus e numero septem sapientium, primus solis defectionem[102]) praedixit. 40) Non est sapientis[103]) dicere: Non putāram. 41) Post Imperatoris Pertinācis caedem praetoriani milites imperium reipublicae Ro-

---

97) ein Römischer Naturforscher. — 98) Gymnasium war bei den Griechen der Ort, wo die öffentlichen Leibesübungen vorgenommen wurden. — 99) eine Gallische Völkerschaft. — 100) Eum. und Antig. waren beide unter den Feldherrn Alexanders des Grossen, die sich nach dessen Tode um die Herrschaft stritten. — 101) eine Landschaft in Klein-Asien. — 102) solis def. *Sonnenfinsterniss.* — 103) est sap. *es ist die Sache eines W.*

manae Juliano cuidam, opulentissimo homini, pecunia addixerunt. 42) Consŭles diem comitiis indicere solebant. 43) Romŭlus solennia spectacula finitimis indixit. 44) M. Antonius, Romanorum contra Cretes dux, plures catēnas quam arma in navibus secum duxerat. 45) Labor quasi callum quoddam obducit dolori. 46) Quid produces amicos tuos falsa spe? 47) Epaminondas primus e Thebanis exercitum in Peloponnesum duxit. 48) Clades Cannensis rempublicam Romanam ad ultimum discrimen adduxit. 49) Darēus triginta milia Graecorum mercede conduxerat. 50) Romani in agros bello partos colonias deduxerunt. 51) Hannibal Philippum, regem Macedŏnum, ad societatem belli cum Romanis deduxit. 52) Miltiades exiguam civium manum adversus ingentes Persarum copias eduxit. 53) In bello ab Etruscis Samnitibusque simul moto Fabius Maximus exercitum Romanum primus in Ciminium[104]) tunc invium et terribilem saltum induxit. 54) Caesar oratione de Catilinae sociis in senatu habita multos ad suam sententiam perduxit. 55) Caesar quinque dies continuos[105]) pro castris copias produxit Ariovistum, Germanorum ducem, ad proelium provocaturus. 56) Frustra et in suam perniciem nonnulli Imperatores Romani efferatos militum animos ad officium reducere studuerunt. 57) Tullus Hostilius rex populum Albanum Romam[106]) traduxit. 58) Locusta quaedam, veneficiis inclĭta, Nerone praesente[107]) venēnum Britannico fratri destinatum coxit.

2. Ein unregelmässiges Supinum mit Ausstossung des *n* oder Annahme des *x* und 3. Verba auf *cto*.

1) Volucres videmus fingere et extruere nidos. 2) Finxit nos ipsa natura ad honestatem. 3) In forma oris humani natura penĭtus reconditos mores effinxit. 4) Natura vario lumine pinxit formas siderum. 5) Phoenīces primi artem acu pingendi exercebant. 6) Stoici[108]) breviter adstringere solebant argumenta. 7) Catilina socios suos gravissimo jurejurando constrinxit. 8) M. Crassus magnam copiam captorum fugitivorum in cruce fixit. 9) Cornelius Cossus, eques Romanus, Tolumnium, Vejentium regem, in certamine singulari[109]) cuspide ad terram affixit. 10) Nero a senatu hostis[110]) patriae judicatus ipse pugione se transfixit. 11) Orpheus bestias quoque immānes

---

104) dieser Wald lag in Etrurien. — 105) q. d. cont. *fünf Tage hintereinander.* — 106) *nach R.* — 107) Ner. praes. *in Gegenwart des Nero.* — 108) eine philosophische Secte. — 109) cert. sing. *der Zweikampf.* — 110) *für einen Feind.*

cantu suo flexit. 12) Alexander Magnus insulas nonnullas annexuit continenti. 13) Curae nos sollicitant anguntque.

3. Im Perfecto mit einer Silbenverdoppelung.

1) Neronis saevitia ne matri[111]) quidem ipsius pepercit. 2) Victor parcat hostibus. 3) Romani milites Carthaginis captae nec sacris nec profānis aedificiis pepercerunt. 4) In summo reïpublicae discrimine post Cannensem cladem cives Romani ne privatis quidem opibus[112]) suis pepercerant. 5) In rebus summi momenti[113]) nulli parcitote labori. 6) Certi scrupuli homines dies noctesque pungunt. 7) Apes irritatae aculeis vehementer pungunt. 8) Gades[114]), ultima Hispaniae urbs, Oceănum tangit. 9) Supplices genu terram tangunt. 10) Cornelius Nepos in libro de vitis excellentium imperatorum Hannibălis res gestas leviter tantum tetigit. 11) Caesar primus ducum Romanorum Britanniae oram classe attĭgit. 12) L. Junius Brutus in Graeciam cum adolescentibus regiis[115]) missus simulato casu terram osculo contĭgit. 13) Thrasybūlo, libertatis Atheniensium vindici, eximia civium gratia merĭto contigit. 14) Imperatori Augusto proles virīlis non contĭgit. 15) Cum Latīnis jam prima civitatis aetate[116]) Romani foedera pepigerant.

4. Ohne Veränderung des Charakter-Buchstaben zum Theil mit Umlaut und Ausstossung des *n*.

1) Bello quinquaginta annorum Romani Samnītes subegerant. 2) Duilius imperator primum maritĭmum egit triumphum[117]). 3) Antiŏchum regem jam sua luxuria devictum adventus sui nuntio Romani fugere coëgerunt. 4) Scipio Aemilianus milites Romanos ad veterem disciplīnam redegit. 5) Sulla Athenienses circumsessos obsidione et fame ad extremum adegit. 6) Athenienses Aristīdem, civem omnium justissimum, in exilium egerunt. 7) Dionysius, Syracusarum tyrannus, vitam in perpetuo metu agebat. 8) Oratores cum populo Romano in foro de rebus publicis[118]) agere solebant. 9) Dionysius minor[119]) extremam aetatis partem Corinthi[120]) degebat. 10) Cato Censorius[121]) aliquot proeliis Celtibēros[122]) fregit. 11) Dolor jam

---

111) der Dat. bei *parcere* ist durch den Genit. oder Accus. zu übersetzen. — 112) priv. op. *Privatschätze.* — 113) *von der grössten Wichtigkeit.* — 114) das heutige *Cadix.* — 115) adol. reg. *die königlichen Prinzen.* — 116) der Ablat. durch *in* zu übersetzen. — 117) tr. mar. *ein Triumph wegen eines Seesieges.* — 118) res publicae *Staatsangelegenheiten.* — 119) *der Jüngere.* — 120) zu Corinth. — 121) der Beiname desjenigen, der Censor gewesen war. — 122) eine Spanische Völkerschaft.

fortissima pectora fregit. 12) Viriāthus Lusitanus[123]) omnes adversariorum conatus calliditate sua infregit. 13) Mulier quaedam Argīva galeam et caput regis Pyrrhi lapidis ictu perfregit. 14) Cato Uticensis[124]) paulo ante mortem voluntariam[125]) Platonis librum de immortalitate animae legerat. 15) Apud Homērum multa de Ulixis calamitatibus legimus. 16) Balbus balbum[126]) rectius intelliget. 17) Probitatem etiam in hoste diligimus. 18) Bonos libros iterum atque iterum[127]) perlĕgas. 19) Catilīna magnum hominum numerum ex agris collēgit. 20) Imperator Trajanus Hadrianum successorem delēgit. 21) C. Marius in proelio cum Cimbris locum maxime idoneum sibi elegerat. 22) Caesar omnia de conjuratione in ipsum facta indicia plane neglexerat. 23) Tarquinius Superbus rex foedus cum Latīnis icit. 24) Alexander tribus justis proeliis copias regis Persarum vicit. 25) Marcellus primus Hannibalem acie vicit. 26) Stellarum globi plerique terrae magnitudinem vincunt. 27) Lysander, Lacedaemoniorum dux, Athenienses classe devīcit. 28) Socrates ne literam quidam scriptam reliquit. 29) Paucos ex senatorio ordine et ex nobilitate Imperatoris Commŏdi dominatio reliquerat.

5. *si* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Quaedam aves se in mari mergere solent. 2) Vespĕri sol in mare se immergere videtur. 3) C. Duilius in pugna navali ad Mylas partem Punicae classis demersit. 4) Stellae quaedam spargunt lucidos radios. 5) Ante pugnam ad Aegos flumen[128]) Athenienses temĕre per agros se sparserant. 6) Augustus in Aegypto Alexandri Magni corpus floribus adspersit. 7) Vesuvius mons interdum finitimas oras et mare late cinere conspergit. 8) Medēa jugulati fratris membra per agros dispersit. 9) Scipio secundo statutae morae die milites arma tergere ante tentoria jussit. 10) Clementia abstergimus supplicum lacrimas. 11) In pugnis navalibus veteres navium hostilium remos detergere tentabant. 12) Omnes Africae regiones in meridiem vergunt.

---

123) *Lusitanien* war ein Theil des alten Hispanien, ungefähr das heutige Portugal. — 124) diesen Beinamen hat Cato von der Stadt Utica, wo er starb. — 125) mors vol. *der Selbstmord.* — 126) balbus balbum *ein Stammler den andern.* — 127) iter. atq. iter. *immer noch einmal.* — 128) Aegos flumen *der Ziegenfluss*, der Ort, wo die Athenienser von den Lacedaemoniern gänzlich geschlagen wurden.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Nemo mortalium est, quem non attingat dolor. 2) Quum iracundiam vinces, hostem infestissimum viceris. 3) Philippus, Macedonum rex, dicere solebat: Argenteis telis pugnato atque omnia vinces. 4) Quidquid ages, prudenter agas et respice finem. 5) Omnis virtus nos ad se allicit facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur. 6) Optimus orator est, qui dicendo animos auscultantium et docet et delectat et permŏvet. 7) Palumbes et turtŭres plurimum terna ova pariunt, et, si tria pepererint, nunquam plus duobus[129]) edūcent. 8) Miltiădes plus quam collegae valuit; ejus enim auctoritate moti Athenienses copias ex urbe edūcunt locoque idoneo castra faciunt. 9) Persa quidam uni e Lacedaemoniis dixit: Jaculorum et sagittarum multitudine solem non videbitis. In umbra igitur, respondit ille, pugnabimus. 10) Cicero consul Lentŭlum, unum ex consciis Catilinae, quod praetor erat, ipse manu tenens ad judices duxit. 11) Attălus, rex Pergamenorum, testamentum reliquit: Populus Romanus bonorum meorum heres esto. 12) Carthaginiensibus a senatu Romano imperatum est, ut urbem suam relinquerent. 13) Numantīni Romanos assiduis cladibus ita subegerunt[130]), ut ne oculos quidem aut vocem Numantīni viri quisquam sustineret. 14) Massilienses in bello cum Caesare piscatorias naves, quas sagittariis tormentisque impleverant, contexerunt, ut essent ab ictu telorum remĭges tuti. 15) Quum socii jus civitatis postularent, ad quam spem Drusus eos erexerat, quumque hoc eis a populo Romano denegatum esset: omne Latium atque Picēnum, Hetruria omnis atque Campania, tota postremo Italia contra urbem Romam consurrexit. 16) Perperna, imperator Romanus, fugitivos in Sicilia acie vicit et, quum plerosque eorum, Ennae obsessos, fame consumpsisset, reliquias catēnis compedibusque religavit et crucibus affixit. 17) Spartăcus, Crixus, Oenomăusque cum triginta ejusdem fortunae[131]) hominibus Lentuli cujusdam ludum gladiatorium effregerunt et servos ad arma vocabant. 18) In bello civīli Marius immani quadam saevitia caedibus adversariorum gaudebat, ac nobilissimos viros per medium forum[132]) carnifices trahebant. 19) Ancharius quidam in conspectu Marii perfossus est, quia manum non porrexerat ei salutanti. 20) Sertorius, qui grave Romanis in Hispania bellum

---

129) *als zwei.* — 130) hier *herunterbringen.* — 131) ejusd. fort. *von demselben Gelichter.* — 132) p. med. for. *mitten über den Markt.*

excitaverat, tandem superatus ad Oceănum confugit, in Fortunatas insulas se recepturus[133]). 21) Catilina ut hostis ex urbe evasit et palam jactavit: Incendium meum civitatis ruina restinguam. 22) Quum Patres[134]) de supplicio conjuratorum agerent, Caesar parcendum eorum dignitati[135]) censuit. 23) Quam atrociter cum Catilina ipso pugnatum sit, exĭtus docuit, nemo enim hostium pugnam reliquit. 24) Quem[136]) quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima[137]) corpore tegebat.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *xi* im Perfectum, *ctum* im Supinum.

1) Bello[138]) civili inter Marium et Sullam Romae contio armatis cincta erat. 2) Ecbatăna, Medorum caput, septemplici muro cincta erant. 3) Charondae lege[139]) nemini gladio accincto in contione adesse licebat. 4) Bello civili civitas Romana vehementius quam tribus Punicis afflicta est. 5) Graecia perversis suis consiliis afflicta est. 6) Romani et Sabīni pace affinitateque inter se juncti erant. 7) Fluviorum ripae hiĕme gelu junguntur. 8) Primo bello Punico magna Siciliae pars cum imperio Romano conjuncta est. 9) Arethūsa fons munitione ac mole lapidum a mari disjuncta erat. 10) Latrones Italiae inter se[140]) scelerum foedere ac nefaria societate conjuncti sunt. 11) Per quadringentos fere annos respublica Romana a Consulibus regebatur. 12) Nobilis equus umbra quoque virgae regetur. 13) A magistris corrigantur vitia discipulorum. 14) Post Caesaris necem denuo ad spem libertatis boni cives erigebantur. 15) Totis imperii viribus contra mirmillonem[141]) Spartăcum consurrectum est. 16) A. Bruto summa prudentia stultitiae simulatione tecta est. 17) Nonnullae bestiae natura abditae terraque tectae sunt. 18) Fronte et supercilio a multis contegitur ignorantia. 19) A muliere quadam consilia conjuratorum Ciceroni detecta sunt. 20) Pueri apud Graecos oleo

---

133) se recept. *um sich zurückzuziehen.* — 134) *die Senatoren.* — 135) parc. eor. dign. *man müsse ihrer Würde schonen.* — 136) verbinde *quem* mit *locum.* — 137) am. an. *nach Verlust seines Lebens.* — 138) *im Kriege* wird im Lat. gewöhnlich durch den blossen Abl. von *bellum* ausgedrückt. — 139) der Abl. mit *nach* zu übersetzen. — 140) inter se *unter einander.* — 141) eine gewisse Art von Fechtern hiess bei den Römern *mirmillo.*

uncti in palaestra exercebantur. 21) Ex duobus aeque bonis magis diligimus nitĭdum et unctum[142]) quam pulverulentum et horrentem[143]). 22) Ignis non extinguitur igne. 23) Bellum Sertorianum[144]) non prius quam scelere et insidiis proditoris extinctum est. 24) Simiae inter se caudis distinguuntur. 25) Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupidinem. 26) Bello civili de curia, quasi de carcere, nobilissimi viri ad necem protrahebantur. 27) Dolabella Trebonii, unius e percussoribus Caesaris, corpus tractum atque laniatum in mare abjecit. 28) Pronuntiatione interdum duae syllăbae contrahuntur in unam. 29) Caesar et Pompejus tam mutua aemulatione quam hominum quorundam perfidia distracti sunt. 30) Imperatores triumphantes quattuor candidis equis vehebantur. 31) Darēus rex curru in pugnam vectus est. 32) Priscis temporibus Trojani profŭgi in Italiam navibus advecti esse dicuntur[145]). 33) Omnes imperatores Romani cupiebant invehi in Capitolium victores cum insigni illa laurea[146]). 34) Quae apud alios iracundia, in imperio crudelitas atque superbia dicitur. 35) Imperator Augustus post obĭtum Divus dictus est. 36) Solis ac lunae defectiones in multos annos praedicuntur. 37) A fetialibus[147]) apud Romanos ceteris gentibus bella indicebantur. 38) Permulti clarissimi homines tantum honoris et gloriae cupidine ad virtutem ducti sunt. 39) Apud Graecos matronae in convivia virorum non ducebantur. 40) Ultimis reipublicae Romanae temporibus imperii fines a conductis barbăris defendebantur. 41) Jugurtha rex a socero Boccho in insidias deductus et Sullae traditus est. 42) A Thrasybūlo exŭles Athenienses in patriam reducti sunt. 43) Falsa spe inanibusque promissionibus Athenienses a Philippo rege diu producebantur.

2. Ein unregelmässiges Supinum mit Ausstossung des *n* oder Annahme des *x* und 3. Verba auf *cto*.

1) Alexander Magnus ab Apelle pingi, a Lysippo fingi cupiebat. 2) Sub Sullae dominatione a quibusdam nefariis etiam probi atque innocentes homines fictis criminibus accusa-

---

142) bei den Römern gehörte es zur feinen Bildung, sich zu salben. — 143) horrens *der sein Aeusseres vernachlässigt.* — 144) dieser Krieg wurde mit den Hispaniern unter Anführung des Sertorius, eines geächteten Röm. Bürgers, geführt. — 145) dicuntur, hier *sie sollen*, in gleicher Bedeutung mit *man sagt.* — 146) ein um das Haupt gewundener Lorbeerzweig war der vorzüglichste Schmuck des triumphirenden Siegers. — 147) eine Classe von Priestern.

bantur. 3) Forma uniuscujusque corporis verbis effingitur. 4) Incendio Corinthi urbis magna copia pictarum tabularum deleta est. 5) A Suetonio vitae primorum Imperatorum Romanorum depictae sunt. 6) Romani strictis gladiis[148]) in Germanos impĕtum fecerunt. 7) Latrones scelerum societate tamquam arctissimo vincŭlo invĭcem adstringuntur. 8) Servi propter commissa scelera apud veteres in cruce figebantur. 9) Pompējus in Aegyptum confugiens a ministris regiis a tergo transfixŭs est. 10) Omnes virtutes inter se nexae et jugatae sunt. 11) Precibus interdum magis quam causae honestate flectimur. 12) Omnes res[149]) inter se aptae et conexae sunt.

3. Im Perfecto mit einer Silbenverdoppelung.

1) Post mortem Cleopătrae in brachio regīnae vulnus tamquam acu punctum apparebat. 2) Aedes Junonis de coelo tacta[150]) est. 3) Macedonia fortissimis barbarorum gentibus attingitur. 4) Toto orbe[151]) terrarum nihil intactum erat armis Romanis.

4. Ohne Veränderung des Charakter-Buchstaben zum Theil mit Umlaut und Ausstossung des *n*.

1) Acti labores jucundi sunt. 2) Aenēas cum suis comitibus ira Junonis per omnia maria agebatur. 3) Uno proelio bellum Achaĭcum peractum est. 4) Post multa cruentissima bella Gallia tandem tota a Caesare subacta est. 5) A L. Mummio Consule Achāja[152]) in provinciae Romanae formam redacta est. 6) In certamine ad Thermopȳlas milites Persici postrēmo flagellarum ictibus ad pugnandum coacti sunt. 7) Calamitate Romanorum animi[153]) non frangi sed augeri videbantur. 8) Pugna apud Chaeronēam totius Graeciae vires fractae ac debilitatae sunt. 9) Immanitate in cives gloria C. Marii infracta est. 10) Jus civīle neque inflectitur gratia neque perfringitur potentia. 11) Scripta Graecorum et Romanorum monumenta etiamnunc magno cum studio leguntur. 12) Athēnis[154]) Homēri carmina publice praelegebantur. 13) Decem milibus electorum militum reges Persarum nomen immortalium tribuerant. 14) Inter omnes amicos Hephaestio ab Alexandro maxime

---

148) stringere gl. *das Schwert ziehen*. — 149) so drückt man im Lateinischen gewöhnlich unser *Alles* aus. — 150) coelo tangi *vom Blitze getroffen werden*. — 151) der Ablat. hier mit *auf* zu übersetzen. — 152) Achaja war in der letzten Zeit der Griechischen Freiheit der bedeutendste Theil Griechenlands. — 153) der Plur., weil von Mehreren die Rede ist; im Deutschen aber ist der Sing. zu setzen, weil wir von *Muth* keinen Pluralis bilden. — 154) *zu Athen*.

dilectus est. 15) Capitolium, Romanae urbis et religionis caput, non semel sed saepius fulmine ictum est. 16) Tullus Hostilius, Romanorum rex, fulmine ictus est. 17) Nunquam periculum sine periculo vincetur. 18) Regŭlus, Romanorum in Africa dux, a Xanthippo, viro rei militaris peritissimo, victus est. 19) Hispania sola omnium provinciarum vires suas victa demum intellexit. 20) Lentŭlus praetor palam in senatu societatis conjuratorum[155]) convictus est. 21) Gallia tota pacata a Caesare relicta est. 22) Cimon Atheniensis pauper quidem, tamen magnae gloriae heres a patre relictus erat.

5. *si* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Perses, rex Macedŏnum, omnem pecuniam in mari jusserat mergi. 2) Quot classes jam demersae sunt mari! 3) Interdum nummi populo Romano de Rostris sparsi sunt. 4) Propter pulvĕrem aestate[156]) viae aqua consperguntur. 5) Cur a Deo mortifĕra tam multa terra marique[157]) dispersa sunt? 6) Misericordia miserorum lacrĭmae absterguntur.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Fortuna vitrea est, quae, quum maxime splendet, frangitur. 2) Qui omnibus virtutibus instructi et ornati sunt, sapientes et boni viri dicuntur. 3) Phaëthon, Solis filius, vehementer optavit, ut patris curru veheretur. 4) Nullus ignis arderet, si ei lignum subtraheretur. 5) Ne rideas, quum objurgatores tui nondum convicti sunt. 6) Post proelium Cannense, quum Romanis deessent arma, templis detracta sunt. 7) Actum erat procul dubio de republica Romana, si Hasdrŭbal se cum Hannibale fratre junxisset. 8) In petitionePontificatus[158]) C. Piso, vir gravissima dignitate maximaque aetate, a C. Caesare adolescente victus est. 9) Dum populus Romanus diversis bellis distrahitur, Cilĭces[159]) maritĭmum quoddam sibi paraverunt imperium. 10) Quotidie sic coena Cimoni Atheniensi coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret. 11) Cato in ipsa curia solebat legere, dum[160]) senatus cogeretur. 12) Postquam Pompejus in Pharsalica pugna a Caesare victus est, magna pars sociorum haud ultra partibus ejus favebat. 13) Bellum cum Pharnăce tam celeriter a Caesare con-

---

155) der Genit. durch *mit* zu übersetzen. — 156) *im S.* — 157) *zu W. und zu L.* — 158) der Genit. durch *um* zu übersetzen. — 159) die Cilicier bewohnten die Küste des Mittelländischen Meeres, wo sich Syrien mit Klein-Asien verbindet. — 160) dum mit dem Conjunctiv *bis.*

fectum est, ut hostes prius vincerentur, quam in acie essent conspecti. 14) Caesar, quum omnes undĭque copiae in Thessalia contractae essent, Pompejum quotidie ad pugnam provocabat. 15) Clade Pompeji non peractum erat bellum civīle, multo enim acrius in Africa et Hispania exarsit. 16) Fortuna de industria[161]) eum Mithridatico regno exĭtum destinavisse videtur, ut pater a Pompejo, filius a Caesare vinceretur. 17) In pugna ad Thapsum elephanti[162]) Jubae regis, qui nuper e silva protracti erant, consternati subito tubarum clangore statim in fugam versi sunt. 18) Ex Triumvĭris[163]) Lepĭdus ad Urbis[164]) praesidium relictus est, Octavianus et Antonius in Macedoniam adversus Brutum et Cassium properaverunt. 19) Actum erat de republica Romana, nisi Ciceronis industria Catilinae conjuratio patefacta esset. 20) Daci[165]) solebant, quotiens Danubii ripae gelu junctae erant, finitimas imperii Romani terras invadere. 21) Fulvia, Antonii uxor, adversus Octavianum bellum movit atque ipsa gladio erat accincta. 22) Octavianus Augustus, quum tandem orbem terrarum multis ingentibusque bellis diu laceratum pacasset, Imperator perpetuus et Pater Patriae dictus est. 23) Lacedaemonii a Lycurgo jurejurando adstriti erant, ne quid[166]) de legibus suis mutarent. 24) Quum Triumvĭri victores Romam intrassent: omnia exempla majorum, omnes leges, omnis auctoritas senatus, omnia denĭque divīna humanaque jura neglecta sunt.

III. VERBA LIQUIDA.

E. Verba, welche *l, m, n, r* vor dem *o* haben.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *si* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Imperator Otho ante ipsum ultimum discrimen diligentissime compserat vestes et capillos. 2) Dionysius tyran-

161) *mit Fleiss.* — 162) die alten Völker bedienten sich der Elephanten in den Schlachten. — 163) diesen Titel legten sich im letzten Römischen Bürgerkriege die drei nachher Genannten bei. — 164) Urbs, allein gesetzt, bezeichnet vorzugsweise *die Stadt Rom.* — 165) die Dacier, ein kriegerisches Volk, wohnten nördlich von der *Donau* (Danubius). — 166) ne quid *dass nichts.*

nus Aesculapio[167]) barbam auream dempsit. 3) Caesar pecuniam publicam ex aerario deprompsit. 4) Imperator Vitellius industriam et laborem omnem in coenis exprompsit. 5) Post Euměnis obĭtum Alexandri Magni praefecti statim regium ornatum nomenque sumpserunt. 6) Caesar etiam a militibus suis mutuas[168]) pecunias sumpserat. 7) Plures Numantinorum fames quam ferrum absumpsit. 8) Epaminōndas in armis plurimum studium consumpserat. 9) Xerxes parvam Graecorum manum ad Thermopȳlas sibi resistentem initio contempsit. 10) Clodius, ille furiosus tribunus plebis, leges ac judicia omnia contempsit.

2. Nach der Analogie der zweiten Conjugation.

1) Dejotărus, Galatiae rex, ante cladem Pompeji magnum exercitum aluerat. 2) Phocionem, clarum illum Atheniensem, exiguus alebat agellus. 3) Ne colite sterilem agrum. 4) Ulixes Ithăcam insulam incoluit. 5) Justitiam cole et pietatem. 6) Prisci Romani agros studiose coluerunt. 7) Animos nostros doctrina excolimus. 8) Deus consulit rebus humanis. 9) Ira et misericordia saepe male nobis consulunt. 10) Croesus, Lydorum[169]) rex, oracŭlum Delphicum consuluit. 11) In dubiis rebus Romani libros Sibyllīnos[170]) consulere solebant. 12) In pistrĭnis veteres farīnam molebant. 13) Odium suum adversus tyrannos Brutus callide occuluit. 14) Post proelium apud Mutĭnam[171]) Octavianus odium suum in Caesaris percussores non diutius occuluit. 15) De Patriciorum superbia plebs Romana perpetuo fremuit. 16) Tota urbs gemuit de Ciceronis profectione in exilium. 17) Pueri Spartiātae non ingemuerunt verberum dolore laniati. 18) In civitate Romana ipsi magistri equitum[172]) virgas ac secūres[173]) dictatoris tremere solebant, 19) Cicero in principiis dicendi plerumque omnibus artubus contremuit. 20) Heluones apud veteres inter coenam vomere solebant. 21) Vesuvius mons scintillas cineremque evŏmit. 22) Virtus amicitiam et gignit et continet. 23) Juppiter Herculem genuit. 24) Una mus aliquando centum viginti foetus progenuit. 25) Natura homini ingenuit gloriāe[174]) cupiditatem.

---

167) der Gott der Heilkunde. — 168) pec. mut. sum. *Geld borgen.* — 169) *die Lydier* bewohnten einen Theil der westlichen Küste von Klein-Asien. — 170) *die Sibyllinischen Bücher* enthielten Prophezeiungen über den Römischen Staat. — 171) die Schlacht bei Mutina hatte Octavianus, der angenommene Sohn des Caesar, gegen Antonius gewonnen. — 172) mag. equit., *der Befehlshaber der Reiterei*, war dem Range nach dem Dictator der nächste. — 173) der Accus. bei *tremere* wird durch *vor* übersetzt. — 174) der Genit. mit *nach* zu übersetzen.

26) Lacedaemonii praesidia in multis Graeciae civitatibus[175]) posuerunt. 27) Dejotărus rex arguebatur Caesari insidias posuisse. 28) Multi mortem servituti anteposuerunt. 29) Cicero frustra controversias inter Pompejum et Caesarem componere studuit. 30) Post cladem Pharsalicam omnem spem Pompejus deposuisse videtur. 31) Haud raro Caesar in prima acie pugnans telis hostium se exposuit. 32) Proponere in Rostris capita caesorum civium sub Triumvirorum dominatione Romae[176]) jam usitatum erat. 33) Rationis praestantia antecellimus bestiis. 34) Necopinatus Caesaris cum exercitu adventus Pompeji animum perculit. 35) Imperator Commŏdus forma corporisque viribus ceteris omnibus praecellebat. 36) Aristīdes Atheniensis inter omnes abstinentia excellebat.

3. Mit einer Silbenverdoppelung.

1) Luscinia vere[177]) per totam fere noctem canit. 2) Epaminondas fidibus praeclare cecinisse[178]) dicitur. 3) Quemadmŏdum tibīcen sine tibiis canat? 4) Maximi duces veterum et fidibus et tibiis cecinerunt[178]). 5) Multi olim in stadio cucurrerunt victoriam petentes. 6) Post pugnam apud Marathōnem unus ex Atheniensium exercitu exiguo temporis spatio, victoriae nuntius, pedibus[179]) Athenas[180]) cucurrit. 7) Discipŭlus điscipulo[181]) praecurrere studet. 8) In pugna ad Mundam[182]) Caesar ipse in primam aciem procurrit. 9) Parthi, bellicosissima Asiae gens, semel atque iterum[183]) in Syriam Armeniamque incurrerunt. 10) Oedĭpus, Laïo patri in angusta via occurrens, ignārus[184]) parentem suum occīdit. 11) Astrolŏgi Babylonii multos credŭlos olim vaticinationibus fefellerunt. 12) Regŭlus fidem hosti datam non fefellit. 13) Athenienses Themistŏclem, Cimonem, Aristīdem aliosque clarissimos viros, insignium eorum de patria meritorum immemores, in exilium pepulerunt. 14) Agesilāus, Lacedaemoniorum rex, in omnibus cum Persis proeliis multo majores hostium copias in fugam pepulit. 15) Hannibal Antiŏchum, Syriae regem, ad bellum cum Romanis impulit. 16) Neronem non Galba cum una legione sed ipsius[185]) immanitas et luxuria principatu depulit. 17) Scipio calones ad usum non necessarios castris expulit.

---

175) der Ablat. durch den Accus. zu übersetzen. — 176) *zu R.* — 177) von ver, *im Fr.* — 178) fidibus et tibiis canere *auf der Cither und Flöte spielen.* — 179) *zu Fuss.* — 180) *nach Ath.* — 181) discipulus discipulo *ein Schüler dem andern.* — 182) die letzte Schlacht, welche Caesar lieferte. — 183) s. atq. it. *zu wiederholten Malen.* — 184) ign. *ohne es zu wissen.* — 185) *seine eigene.*

18) Regŭlus primus[186]) Romanorum classem[187]) ad Africam appulit. 19) Milites Marii pilis sagittisque Germanos irruentes a castris propulerunt.

4. *vi* im Perfectum.

1) Magnilŏqui ignaviam imprīmis cernes in periculis. 2) Bestiŏlas quasdam propter earum exiguitatem oculis non cernimus. 3) Senatus Octaviano Augusto inauditos usque ad id tempus honores decrevit. 4) Senatus Romanus tertium adversus Carthaginienses bellum decrevit. 5) Caecus alba et atra non discernit. 6) Bruma nive illĭnit agros. 7) Romani perditis Orientis moribus se obleverunt. 8) Suevi[188]) vinum ad se importari omnino non sinebant. 9) Strepitus maris interdum hominum voces auribus excipi non sinit. 10) Post trecentesimum duodenonagesimum annum urbis conditae[189]) continuae inter Patres et plebem rixae desierunt. 11) Claudius Pulcher, dux Romanorum, auspicia non sine suo classisque detrimento sprevit. 12) Elephanti Pyrrhi aciem Romanorum straverunt. 13) Judaei vestes suas sub pedibus Jesu Hierosolŷma intrantis straverunt. 14) Milites in castris Pompēji recentibus cespitibus tabernacula constraverant. 15) Marius Teutŏnos magno proelio apud Aquas Sextias prostravit. 16) Paucis prosunt arbores, quas ipsi severunt. 17) Populus Romanus bella ex[190]) bellis seruit. 18) Imperator Probus Moesiae montes vitibus consevit. 19) Veteres Helvetii cum Germanis finitĭmis quotidie fere manus conseruerunt. 20) Menodōrus, S. Pompēji[191]) libertus, primus domini sui, deinde Octaviani partes quoque deseruit. 21) Socrates extrēmo vitae die de immortalitate animorum disseruit. 22) Psammetĭchus, Aegypti rex, Azōtum, Syriae urbem, oppugnans undetriginta trivit annos. 23) Duces Romani Sertorii copias ancipĭti semper acie attriverunt. 24) Pompejus Caesarem undĭque interclusum a commeatu inopia conterere studuit.

5. Andere Abweichungen.

1) In direptione Persepŏlis[192]) urbis milites Macedonii, praedae[193]) cupidine incensi, simulācris singula membra

---

186) *zuerst.* — 187) der Accus. bei appellere, *landen*, wird durch *mit* übersetzt. — 188) die *Sueven* waren ein deutsches Volk. — 189) urbis cond. *nach Erbauung der Stadt* (Rom). — 190) hier *an.* — 191) dieser war ein Sohn des grossen Pompejus. — 192) die alte Hauptstadt des Persischen Reiches. — 193) der Genit. mit *nach* zu übersetzen.

avellerunt. 2) Verres, ille omnium Romanorum praesidum rapacissimus, etiam Deorum signa ex sedibus ipsorum[194]) convellit. 3) Catilina adolescentes nobilissimos inanibus prommissionibus seductos a parentum complexu divellerat. 4) Imperator Titus cantabat et psallebat jucunde. 5) Imperator Nero in certamine corōnae[195]) publĭce psallit. 6) Multi magno pretio[196]) poenitentiam sibi emunt. 7) Didius Julianus dignitatem imperatoriam pretio[197]) emit. 8) Sullae familiares ac liberti parvo pretio bona proscriptorum civium emerant. 9) Scipio Numantīnis undĭque arctissime inclusis omnem spem fugae ademerat. 10) Parvum intervallum castra Romanorum et Teutonorum diremit. 11) Carthaginienses primam cum Romanis pacem tribus milibus ducentis talentis[198]) redemerunt. 12) Alexander rex Clitum familiarem sua manu interemit. 13) Aestīvus sol incŏlas Aegypti premit. 14) Mithridātes Cyzĭcum urbem terra marique obsidione pressit. 15) Imperator Commŏdus Marci patris vestigia[199]) minime pressit. 16) Sulla tribunicios furores[200]) aliquamdiu compressit. 17) Bella civilia toti imperio Romano cruenta vestigia impresserant. 18) Post bellum Peloponnesium[201]) triginta tyranni libertatem Atheniensium oppresserunt. 19) Argus gerebat centum oculos. 20) Satrăpae Persici purpureas et auro pictas vestes gerebant. 21) In bello adversus Jugurtham milites Romani non ex[202]) more majorum[203]) se gesserunt. 22) Hannibal etiam exiguis opibus res maximas gessit. 23) Bellum Sertorianum Lusitani Celtibērique[204]) Romano duce[205]) gesserunt. 24) Post victoriam ad Pharsalum Caesar Alexandrīae inclusus bellum cum Aegyptiis gessit. 25) Midae dormienti formīcae tritĭci grana in os congesserunt. 26) Dionysius tyrannus cultros tonsorios metuens candenti carbone sibi adurebat capillos. 27) Nabis, tyrannus Lacedaemoniorum, Achaeos finitimo bello urebat. 28) Antonius Caesaris interfecti corpus in foro combussit. 29) Lentŭlus[206]), Catilinae socius, genti Corneliorum turpitudinis[207]) notam inussit. 30) Nuntio de clade Cannensi accepto[208]), matrōnae Romanae, crinibus passis

---

194) *ihren eigenen.* — 195) *um den Preis.* — 196) der Ablat. mit *für* zu übersetzen. — 197) *für Geld.* — 198) ein Talent betrug ungefähr 1400 Thlr. — 199) pr. vest. *in die Fusstapfen treten.* — 200) trib. fur. *die Zügellosigkeit der Tribunen.* — 201) dieser Krieg wurde zwischen den Atheniensern und Lacedaemoniern um die Oberherrschaft Griechenlands geführt. — 202) hier *nach* oder *gemäss.* — 203) majores *die Vorfahren.* — 204) zwei Spanische Völkerschaften. — 205) Rom. duce *unter Anführung eines Römers.* — 206) die Lentuli gehörten zum Geschlechte der Cornelier. — 207) not. turp. *Schandflecken.* — 208) nuntio accepto *bei erhaltener Nachricht.*

arras Deorum verrentes manusque ad coelum tendentes, auxilium Deorum implorabant. 31) Galli semper novas causas seditionum quaerebant. 32) Abderītae propter ranarum murumque multidinem e patria profŭgi sedes alias quaesiverunt. 33) Darīus ex captīvis Macedonibus numerum hostium quaesivit. 34) De servo[209]) in dominum quaerere apud Romanos non licebat. 35) Crassus divitiis magnam potentiam acquisiverat. 36) Accusatores Dejotări regis crimina in eum undĭque conquisiverant. 37) Exercitus Macedonicus in[210]) Philōtam pro ditionis accusatum patrio more inquisivit. 38) Elephanti in proeliis vulnerati in[210]) suos interdum acrius furunt. 39) Clodius tribunus furebat in[210]) omnes leges ac jura civitatis. 40) Damasippus quidam insanivit[211]) in emendo veteres[212]) statuas. 41) Quin columbae internuntiae in rebus magnis fuerunt, epistolas pedibus[213]) annexas ferentes. 42) C. Marius, rusticanus vir[214]) sed plane vir, tulit dolorem ut vir. 43) Nec Caesar ferebat parem nec Pompejus superiorem. 44) In pugna apud Mutĭnam Octavianus, cruentus et saucius, aquĭlam[215]) a signifĕro moribundo traditam suis humeris in castra retŭlit. 45) M'. Curius fictilia sua Samnitico auro praetŭlit. 46) Bruto media nocte[216]) aliqua secum[217]) agitanti atra quaedam imāgo se obtŭlit. 47) In rebus angustis[218]) supplices manus ad coelum tollimus. 48) Imperator Tiberius cives sibi suspectos omnes sustŭlit. 49) Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustŭlit Lycurgus[219]).

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Coelestia semper spectato, illa humana contemnito. 2) Dextra gerat gladium, manus altera monstret pacem. 3) Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. 4) Ipse tibi nocebis, quum alios laedere quaesiveris. 5) Pelle moras, brevis est magni favoris fortuna. 6) Ne verbis defendas, quae male gessisti. 7) Dum vires annique sinunt, tolerate labores. 8) Studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant. 9) Tanăus, Scytharum[220]) rex, longinqua bella gerebat, nec imperium sibi sed gloriam quaerebat. 10) Tantus est amor patriae[221]),

---

209) qu. de aliquo *jemanden zur Untersuchung ziehen.* — 210) in, hier *gegen.* — 211) insan. *war ganz unsinnig.* — 212) *vet. stat.* hängt von *emendo* ab, indem das Gerundium denselben Casus wie das übrige Verbum regiert, wird aber durch den Genitiv übersetzt. — 213) *an die Füsse.* — 214) rust. v. *ein Landmann.* — 215) *Adler* dienten den Römischen Legionen anstatt der Fahnen. — 216) media nocte *um Mitternacht.* — 217) für *cum se.* — 218) res angustae *die Zeit der Noth.* — 219) der Gesetzgeber von Sparta. — 220) *Scythen* nannte man im Alterthum fast alle Völker des mittlern Asiens und des heutigen südlichen Russlands. — 221) *zum Vat.*

ut Ulixes ille sapientissimus asperrimam insŭlam Ithăcam immortalitati anteposuerit. 11) In maximo rerum[222]) discrimine Senatus Romanus decrevit: Darent operam Consules, ne quid respublica detrimenti[223]) caperet. 12) P. Claudius non ab hostibus sed a Diis superatus est, quorum auspicia contempserat. 13) M'. Curius, quum de Samnitibus, de Sabīnis, de Pyrrho triumphasset, extremum aetatis tempus in vita rustica consumpsit. 14) Bello Macedonico, quod Romani cum Perse gesserunt, Rhodii[224]) infīdi et adversi Romanis fuerunt. 15) Frustra Caesar Germanos in Hercynia silva quaesivit, nam omnes in saltus et paludes diffugerant. 16) Tib. Gracchus, tribunus plebis, Cn. Octavium collēgam contra jus potestatis suae vi Rostris depulit et abdicare se magistratu[225]) coëgit. 17) Eo furoris populus Romanus processit, ut in urbe media[226]) ac foro cives cum civibus suis, gladiatorio more[227]), concurrerent. 18) Augustus tantus erat, ut triumphos contemneret. 19) Cimbri et Teutŏni novas sedes quaerebant, quum terras eorum Oceanus inundasset. 20) In patentissimo, quem Raudium vocant, campo Cimbri cum Romanis concurrerunt. 21) Fortunam adhuc tantum adversam tulisti, secundae res acrioribus stimulis animos explōrant. 22) Qui jus civile contemnit, is vincula revellit non modo judiciorum sed etiam utilitatis vitaeque communis. 23) Ninus rex Assyriorum primus[228]) intulit bella finitĭmis et rudes etiamtum ad resistendum populos usque ad termĭnos Libyae[229]) perdomuit. 24) Astyăges, Medorum[230]) rex, filiam Cambȳsi, mediŏcri viro ex gente obscūra illo tempore Persarum[231]), in matrimonium tradidit, ne paterna maternaque nobilitas nepotis animum extolleret.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1. *si* im Perfectum, *sum* im Supinum.

1) Diserti senis compta et mitis est oratio. 2) Comae

---

222) res hier für *Staat* zu nehmen. — 223) der Genit. hängt von *quid* ab: *dass keinen Schaden.* — 224) *die Rhodier*, damals mächtig zur See, bewohnten die Insel Rhodus an der westlichen Küste Klein-Asiens. — 225) abd. se mag. *sein obrigkeitliches Amt niederlegen.* — 226) in urbe med. *mitten in der Stadt.* — 227) glad. more *nach Art der Fechter*, die nämlich zur Ergötzlichkeit des Volkes im Theater auf Tod und Leben mit einander kämpfen mussten. — 228) *zuerst.* — 229) Libya ist der alte, vorzugsweise von den Griechen gebrauchte Namen für *Africa.* — 230) die Meder waren im frühesten Alterthume eine Zeitlang das herrschende Volk in Asien. — 231) der Genit. hängt von *gente* ab.

sacra facientium diligentissime comptae esse solebant. 3) Marii virtute Romanis omnis metus a[232]) Germanis dempta est. 4) E veterum scriptis quasi ex sempiterno thesauro adhuc sapientiae praecepta promuntur. 5) M. Marcellus promptus et non inexercitatus ad dicendum fuit. 6) Infĭma plebs Romae semper ad vim et caedem prompta erat. 7) Multae monumentorum inscriptiones e poëtarum operibus depromptae sunt. 8) A Catilina per scelus[233]) toga praetexta[234]) et secures, insignia summae potestatis, sumpta sunt. 9) Maximo cum studio a Romanis bellum adversus Pyrrhum sumptum est. 10) Carthago flammis absumpta est. 11) Opportunissimum tempus ab Hannibale in Campania[235]) otio et quiete consumptum est. 12) Minae Persarum a Graecis contemptae sunt. 13) Thrasybūlus contemptus est a tyrannis atque ejus solitudo.

2. Nach der Analogie der zweiten Conjugation.

1) Romae ansĕres publicis sumptibus[236]) alebantur. 2) A regibus Persarum magna ministrorum turba alebatur. 3) Ager diligenter cultus fertilissimus erit. 4) Ab Aegyptiis quaedam animalia Deorum instar[237]) colebantur. 5) Graecis literis Romanorum rudes ferocesque animi exculti sunt. 6) Italia inferior a Graecis colōnis incolebatur. 7) Ab Astyăge rege, somnio perturbato, hariŏli consulti sunt. 8) Jureconsulti de jure civīli consuli solent. 9) Ab occultis bominibus consultisque cave. 10) Feminae in plerisque antīquis civitatibus intra parietes domesticos occulebantur. 11) Helvetiorum, Caesaris tempore[238]) domo emigrantium, unusquisque trium mensium[239]) molita cibaria secum[240]) extulerat. 12) Ex avaritia omnia scelera ac maleficia gignuntur. 13) Romulus et Remus a Marte[241]) geniti esse dicuntur[242]). 14) Corinthus urbs intra duo maria, Aegaeum et Ionicum, posita erat. 15) Verum decus in virtute positum est. 16) A Lutatio Catŭlo primo bello Punico finis impositus est. 17) Octavii consulis caput pro Rostris expositum est, Antonii consularis[243]) in ipsa Marii

---

232) a *vor*, nach den Wörtern, die eine Furcht bezeichnen. — 233) p. sc. *auf verbrecherische Art.* — 234) die Toga praetexta war ein mit einem Purpursaume geschmücktes Oberkleid. — 235) eine sehr fruchtbare und durch die Ueppigkeit seiner Bewohner bekannte Landschaft Italiens. — 236) *auf öffentliche Kosten.* — 237) Deorum instar *wie Götter.* — 238) *zur Zeit.* — 239) tr. mens. *auf drei Monate.* — 240) statt *cum se.* — 241) der Kriegsgott der Alten. — 242) *sollen.* — 243) dies war der Titel, welchen ein gewesener Consul beständig behielt.

mensa. 18) Tres legiones Romanae a Germanis in silva Teutoburgensi oppressae sunt. 19) Augustus sapientia atque sollertia perculsum undĭque et perturbatum ordinavit imperium, 20) Ciceronis oratione in senatu habita Catilina graviter perculsus est.

3. Mit einer Silbenverdoppelung.

1) Inter regalia convivia olim laudes herōum ac deorum ad citharam canebantur. 2) Ad nomen magni viri undique ultro concurritur. 3) Nunquam atrocius neque tam ancipiti Marte[244]) concursum est quam apud Mundam[245]). 4) Fallentes fallimur. 5) Bruti simulata stultitia Tarquinius fallebatur. 6) A Licinio Crasso pulsi fugatique servi in extrēmam Italiam refugerunt. 7) Fugitīvi, fame ad extrema compulsi, supplicio voluntariam mortem praetulerunt. 8) Boni nullo emolumento impelluntur, improbi saepe parvo. 9) Astrolŏgi saepius a Romanis Imperatoribus expulsi sunt. 10) M. Lepidus, civīlem tumultum denuo excĭtans, primo statim impĕtu[246]) repulsus est.

4. *vi* im Perfectum.

1) Amicus certus in re incerta cernitur. 2) Signum Minervae in arce Athenarum positum procul cernebatur. 3) Sullae summum imperium in bello Mithridatico a senatu decretum est. 4) Cur animo juncti saepe secernuntur agris et undis? 5) Omnia Imperatoris Caligŭlae facinora singulari dementia atque immanitate oblĭta erant. 6) Veteres unguentis oblĭti in conviviis adesse solebant. 7) A Diogĕne philosŏpho oblata ab Alexandro Magno munera spreta sunt. 8) Spretae sunt a Fabricio Romano magnae Pyrrhi regis pollicitationes. 9) Post pugnam ad Plataeas[247]) ingens exercitus Persarum ferro stratus jacebat. 10) Darēi mater et uxor et filiae, ad pedes Alexandri stratae, gratiam ejus implorabant. 11) Una acie invicta Macedŏnum phalanx[248]) a Romanis legionibus prostrata est. 12) Insĭtam vel potius ingenitam Dei cognitionem habe-

---

244) ancipiti Marte *mit schwankendem Kriegsglück.* — 245) dies war die letzte Schlacht, worin Caesar die Söhne des Pompejus besiegte. — 246) der Abl. mit *bei* zu übersetzen. — 247) in dieser Schlacht wurde das ganze Landheer des Xerxes von den Griechen besiegt. — 248) die Phalanx war die berühmte Schlachtordnung der Macedonier, in welcher 16 und bisweilen 32 Mann hinter einander aufgestellt waren, die mit ihren über das erste Glied oder über die Köpfe der Vordermänner hervorragenden Spiessen einen fast undurchdringlichen Lanzenwald bildeten.

mus. 13) Multi veterum poëtarum versus tam orationibus quam ceteris scriptis Ciceronis inserti sunt. 14) Cyrus minor[249]) dicitur[250]) Lysandro Lacedaemonio agrum sua manu diligenter consĭtum ostendisse. 15) Ante Marii ac Sullae discordias a Romanis civibus manus justo proelio invĭcem consertae non fuerant. 16) Corinthus, ab incŏlis deserta, direpta primum deinde deleta est. 17) Ante pugnam ad Chaeronēam[251]) ab Atheniensibus opportunissimum tempus inanibus consultationibus tritum est. 18) Tritum in Graeciam iter erat Brundisio Dyrrhachium[252]). 19) Populus Romanus continuis cladibus civium attritus est.

5. Andere Abweichungen.

1) Magna indŏles Ciceronis concursu calamitatum aliquantum labefactata atque convulsa est. 2) Imprŏbi consules ex fastis[253]) evulsi sunt. 3) Ultimis imperii Romani temporibus militum animi a quolibet facile empti sunt. 4) Persae, Macedŏnum regi, a Romanis regnum, libertas, vita denique adempta est. 5) Bello Octaviani cum S. Pompejo populus Romanus gravi annōna premebatur[254]). 6) Syracusani non unius sed plurium tyrannorum crudelitate pressi sunt. 7) P. et Cn. Scipiones, Romanorum in Hispania duces, in ipsa sua victoria oppressi sunt. 8) Tumultus C. Gracchi ab Opimio consule oppressus est. 9) Non viribus celeritateque corporum res magnae geruntur sed consilio et auctoritate. 10) A Romanis tria cum Poenis, tria cum Macedonibus bella gesta sunt. 11) A Crasso in Oriente adversus Parthos[255]) res male gesta est. 12) A populo Romano in Augustum ŏmnes undĭque honores congesti sunt. 13) Aliae regiones calore, aliae frigŏre perpetuo uruntur. 14) In corpore urimur secamurque. 15) Calanus Indus sua voluntate combustus est. 16) Plurima mala a seditiosis tribunis plebis reïpublicae Romanae inusta sunt. 17) Ninus magnitudinem quaesiti imperii continua possessione firmavit. 18) Occasio semel amissa frustra itĕrum quaretur. 19) Cyprus insula a Romanis contra jus et fas[256]) acquisita est. 20) In bello magnae multaeque virtutes requiruntur.

---

249) *der Jüngere.* — 250) *soll.* — 251) hier überwand Philippus von Macedonien die Thebaner und Athenienser und vernichtete dadurch die Freiheit Griechenlands. — 252) *nach D.* — 253) fasti waren *die Jahrbücher*, in welchen die Namen der Magistratspersonen etc. aufgezeichnet wurden. — 254) Pompejus hatte nämlich Sicilien besetzt, von wo aus die Römer die meiste Zufuhr an Getreide erhielten. — 255) die Parther waren die nächsten Jahrhunderte vor und nach Christi Geburt das mächtigste Volk in Asien. — 256) jus et fas *das menschliche und göttliche Recht.*

21) Ab Assyriis ad Medos imperium translatum est. 22) Ab Antonio pro rostris Caesari insignia regni oblata sunt. 23) Socii Catilinae sanguinem humanum patĕris circumlatum biberunt.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Qui facile crediderit, facile falletur. 2) Oppĭda multa, quae olim floruerunt, nunc prostrata et dirŭta sunt. 3) Jure contemnuntur ii, qui nec sibi nec aliis prosunt. 4) Virtus ab omnibus colatur, vitia contemnantur. 5) Impellimur natura, ut quam plurimis[257]) prosimus. 6) Laudari, coli, diligi[258]) gloriosum est, metui vero et in odio esse detestabile. 7) Luna, quum opposita est soli, radios ejus et lumen obscūrat. 8) Dionysius tyrannus, quum Syracusis expulsus esset, Corinthi pueros docebat. 9) Antipăter philosŏphus omnibus annis, uno tamen die, quo genitus erat, febri corripiebatur, et hoc morbo tandem senex natali suo consumptus est. 10) Initium et causa primi belli civīlis inter Romanos Marii inexplebilis honorum[259]) cupīdo erat, dum decretam Sullae provinciam ipse appĕtit. 11) Catilina, quum infestis signis[260]) patriam peteret, ab Antonii consulis exercitu oppressus est. 12) Germania a Romanis turpius amissa est, quam gloriose erat acquisita. 13) Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur, si matūra, decidunt. 14) Est boni consulis[261]), succurrere, quum cuncta auxilia reïpublicae labefactari convellique videat. 15) In seminibus vis inest earum rerum, quae progignuntur. 16) Romanus populus lacrĭmas non retinuit, quum recisum Ciceronis caput in rostris videret, nec aliter ad videndum eum[262]), quam solebat ad audiendum, concurreretur. 17) Cyrus infans[263]) ab Astyăge traditus est Harpăgo, regis arcanorum particĭpi[264]), ut in saltibus exponeretur. 18) At sors ejus cum sorte parvŭli regii pastoris permutata est; ipse enim pro filio pastoris educatus, ille pro nepote regis expositus est. 19) Quum deinde puer, rex[265]) inter ludentes sorte delectus, per lasciviam[266]) contumaces flagellis cecidisset: a parentibus puerorum querēla de ejus insolentia ad regem delata est. 20) Epistŏla, quam Harpăgus Cyro misit, ut ejus odium

---

257) q. pl. *so vielen als möglich.* — 258) die Infinitive sind hier Subject. — 259) der Genit. mit *nach* zu übersetzen. — 260) inf. sign. eigentlich: *mit feindlichen Fahnen;* wir würden sagen: *mit den Waffen in der Hand.* — 261) *Es ist die Sache eines guten Consuls.* — 262) ad vid. eum *um ihn zu sehen.* — 263) *als Kind.* — 264) reg. arc. part., eigentlich: *dem Theilnehmer an den Geheimnissen des Königs;* wir würden sagen: *dem geheimen Rathe des Königs.* — 265) *zum Könige.* — 266) *aus Uebermuth.*

in avum excitaret, quum regis custodes omnes adĭtus obsiderent, exenterato lepŏri inserta lepusque fido servo traditus est.

F. Verba auf *so* und *xo*.

a. Activum.

1) Servi farīnam molis moluerunt ac pilis pinsuerunt. 2) Clarissimi antiquitatis duces celĕbres philosŏphos visere solebant. 3) Omnes, qui in Graeciam iter fecerunt, Athenas viserunt. 4) Alexander Magnus Apellem pictorem visit. 5) Astyages rex Cyrum puerum, a nobilissimis quibusdam accusatum, in regiam arcessivit. 6) Dionysius minor Platonem philosŏphum Athēnis Syracūsas arcessivit. 7) Quum pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio Brundisii relicta esset: Caesar nocte concubia[267]) in speculatorio navigio[268]) solus eam arcessere tentavit. 8) Ministris dominorum jussa capessere fas est[269]). 9) Horatius, pro Romanorum libertate et imperio dimĭcans, fugam capessivit, ut pugnam Curiatiorum segregaret. 10) Quum Sevērus cum legionibus Pannonicis[270]) Romae urbi appropinquaret: Imperator Julianus nullum certum consilium capessivit. 11) P. Clodius omnibus modis Ciceroni negotium facessivit. 12) Sub suspiciosis Imperatoribus Romanis delatores clarissimo cuique[271]) pericula facessiverunt. 13) Masinissa, Numidarum rex, Carthaginienses crebris incursionibus lacessiverat. 14) Philippus, Macedŏnum rex, ultro Romanos ad bellum lacessiverat. 15) Magna cupīdo incessit Alexandrum navigandi in Oceano. 16) Magnus Germanorum[272]) metus Romanorum animos incesserat.

b. Passivum.

1) Antiquissimis temporibus Aegyptus a nullo peregrīno visebatur. 2) Aliquando Rhodus insula ab omnibus eloquentiae studiosis visebatur. 3) A Pompejo omnes socii reges in partes belli[273]) cum Caesare arcessiti sunt. 4) Quinctius Cincinnatus ab arātro arcessitus est, ut summam in republica Ro-

---

267) nocte conc. *tief in der Nacht.* — 268) spec. nav. *ein Späherschiff.* — 269) fas est *es ist Pflicht.* — 270) diese Legionen standen in Pannonien (zum grössten Theil das heutige Ungarn), um die Grenze des Römischen Reichs zu vertheidigen. — 271) clar. quisqu. *jeder Ausgezeichnete.* — 272) der Genit. mit *vor* zu übersetzen. — 273) in partes belli *zur Theilnahme an den Krieg.*

mana potestatem acciperet. 5) M. Antonius, nulla injuria lacessitus, arma contra rempublicam cepit. 6) Romani ad bellum cum Tarentīnis singulari horum in legatos suos insolentia lecessiti sunt. 7) Quum Alexandri, Epīri regis, corpus exanĭme a Lucānis infensis jacŭlis saxisque procul incesseretur: mulier una, virum liberosque ab hostibus captos corpore regio redemptura, foedae huic lacerationi finem fecit.

G. Verba auf *sco*.

1. *Welche entweder nicht Inchoativa sind, oder deren Simplex nicht mehr nachgewiesen werden kann.*

a. Activum.

1) Ex metu nostro hostium audacia crescit. 2) Quare quotidiano tot fluminum accessu maria non crescunt? 3) Rhodiorum civitas populi Romani opibus creverat. 4) Cum ipsa magnitudine populi Rōmani etiam vitia crescebant. 5) Eo magnitudinis[274]) creverat respublica Romana, ut ipsa viribus suis conficeretur. 6) Templo Appollĭnis Delphici inscriptum erat: Nosce te. 7) Deus, quem mente noscimus, nunquam prorsus[275]) appāret. 8) Quamvis Deum non videas, tamen agnosces eum ex operibus ejus. 9) Per risum multum cognosces stultum. 10) Astyăges, Medorum rex, Cyri pueri constantia fiduciaque motus, quum et vultus similitudo et expositionis tempus et pastoris confessio congruerent, eum nepotem[276]) agnovit. 11) Victoria de Antiŏcho rege Romani primum luxuriem Orientis cognoverunt. 12) Britanniae, ante Caesaris in hanc insulam expeditionem, veteres vix nomen cognoverant. 13) Caesar victor omnibus adversariis suis ignovit. 14) Attius Navius augur propter paupertatem puer sues paverat. 15) Antonius Triumvir cruciatibus atque suppliciis inimicorum oculos pascebat. 16) In regionibus ad meridiem vergentibus[277]) magna locustarum examina jam totos agros depaverunt. 17) Sub terra mortuorum ossa quiescunt. 18) Post Augusti apud Actium victoriam tandem civilia arma quieverunt. 19) Non prius quieverunt inimici Caesaris, quam in medio senatu[278]) odia sua victoris caede satiarent. 20) Parthi Romanos undĭque circumfusos perpetuis incursionibus lacessiverunt, neque itinere ac pugna simul fessos quiescere siverunt. 21) Sub Augusti principatu respublica

---

274) eo magn. *zu solcher Grösse.* — 275) nunq. pr. *durchaus niemals.* — 276) *als seinen Enkel.* — 277) ad mèr. vergens *südlich.* — 278) in med. sen. *mitten im Senate.*

Romana ex multis miseriis atque periculis paulisper requievit. 22) Hannibal venēnum semper secum habere consueverat. 23) Pueri, quum ceciderunt, terram verberare consueverunt. 24) Demosthĕnes ad fluctum declamare solebat, ut strepĭtum voce vincere adsuesceret. 25) Tiberius ante suum principatum nonnullas barbaras gentes compescuerat. 26) Mare medium Asiam Africamque dispescit. 27) Docentes discimus. 28) Non scholae sed vitae[279]) discimus. 29) Num[280]) is, qui non cito quid[281]) didicerit, omnino nunquam quidquam perdiscet? 30) Disce aliquid; nam quum subĭto fortuna recessit, ars remanet nec vitam hominis unquam desĕret. 31) Imperator Carŏlus Magnus jam paene senex literas didicit. 32) Solon, ut ipse praedicavit, etiam senex quotidie aliquid addidicit. 33) Tarentīni Spartanorum proavorum[282]) disciplinam virtutemque plane dedidicerant. 34) Latini primo a Romanis frustra civitatem[283]) poposcerant. 35) In Actiăca pugna Octaviani naves habiles ad omnia, quae usus poscebat, Antonii graves ac paene immobiles erant. 36) Athenienses fame attriti pacem ab Lacedaemoniis precibus expoposcerunt.

b. Passivum.

1) Sapientiae praecepta noscantur omnia. 2) Non ex sermonibus sed ex factis vera hominis natura cognoscitur. 3) Ingens Caesaris honoris gloriaeque[284]) studium omnibus civibus notum erat. 4) Tantae tenĕbrae eruptione Aetnaeorum ignium finitĭmas regiones interdum obscuraverunt, ut per biduum homo ab homine[285]) non sit agnitus. 5) Oratori omnia, quae ad causam pertinent, cognita esse debent. 6) Veteribus populis tres tantum partes orbis terrarum cognitae erant. 7) A Thrasybūlo Atheniensi omnibus, qui contra rempublicam egerant, ignotum est. 8) Permultis hominibus nomina clarissimorum virorum et locorum patriae suae ignota sunt. 9) Imperator Sevērus durae molestaeque vitae adsuetus fuerat. 10) Caesaris milites continuis victoriis adsueti erant. 11) Ab eo, qui Latinam linguam perdidicerit, illae recentiores, quae ex ea fluxerunt, facile discentur. 12) A populo Romano victorum gladiatorum caedes persaepe poscebatur.

---

279) der Dativ mit *für* zu übersetzen. — 280) *etwa.* — 281) quid, hier indefinitiv., *etwas.* — 282) *ihrer Vorältern.* — 283) hier *das Bürgerrecht.* — 284) der Genit. durch *nach* zu übersetzen. — 285) h. ab h. *ein Mensch von dem andern.*

2. *Inchoativa verbalia mit dem Perfectum ihres Stammverbi.*

1) Omnis flos literarum ultimis imperii Romani temporibus aruerat. 2) Quae spirĭtu in pulmones anima ducitur[286]), ea calescit primum ipso spiritu deinde contagione pulmonum. 3) Simulatque Romae increpuit suspicio tumultus, artes illĭco forenses[287]) conticuerunt. 4) Nero in villa suburbana liberti haud diu a[288]) persecutoribus delituit. 5) Quidam oratores inter dicendum nimium effervescunt. 6) Athenienses propter Pisistrati tyrannidem omnium suorum civium potentiam perpetuo extimuerant. 7) Procellis intumescunt fluctus. 8) Etiam ferae sibi injecto terrore[289]) mortis horrescunt. 9) Nuntio incendii urbi a Catilina parati tota exhorruit civitas. 10) Perpetuis cladibus tandem animi Pompejanorum[290]) elanguerunt. 11) Saepe etiam maxime nefarii homines, conscientiae vi perculsi, pallescunt. 12) Alexander, quum per ebrietatem Clitum familiarem sua manu interemisset, ut primum resipuit, acerbissimo dolore correptus est. 13) Sophŏclis poëtae filii non erubuerunt patrem suum amentiae arguere. 14) Multi Assyriorum reges in feminarum turba consenuerant. 15) Quum Romani milites primum elephantos in se irruentes viderent, obstupuerunt neque iis restiterunt. 16) Literae, quae per multa secula magis magisque[291]) exaruerunt, tandem sub finem quinti decimi seculi reviruerunt.

3. *Inchoativa verbalia, welche neben dem Perfectum auch das Supinum ihrer Primitiva behalten.*

1) Cladis Caudīnae[292]) memoria apud Romanos diu non aboleverat. 2) Etiam Spartanorum disciplīna vetustate exolevit. 3) Cyrus, quum adolevisset, ab Harpăgo admonitus est, ut avi regnum in ultionem[293]) necis sibi ab illo paratae ipse occuparet. 4) Post multas ac diuturnas discordias Patrum plebisque animi tandem coaluerunt concordia. 5) Catilina eam Urbis ruīnam concupivit, quam ne Hannibal quidem videtur optasse. 6) Quidam homines sic disputant: Si fatum tibi est[294]), ex hoc morbo convalescere, sive medĭcum adhibueris sive

---

286) animam ducere *Luft einathmen.* — 287) artes forenses *die gerichtliche Beredsamkeit.* — 288) hier *vor.* — 289) s. ing. terr. *wenn ihnen der Schrecken eingejagt wird.* — 290) welche gegen Caesar die Freiheit des Römischen Volkes vertheidigten. — 291) mag. magisque *immer mehr.* — 292) die schimpfliche Niederlage, die sie von den Samniten erlitten. — 293) in ult. *zur Rache.* — 294) f. mihi est *es ist mir bestimmt.*

non, convalesces. 7) Clade Caudīna multo[295]) vehementius Romanorum in Samnītes odium exarsit. 8) Quum Pompejus cum toto senatu ex Italia cedere cogeretur: quis tum fuit bonus, qui non indoluisset? 9) Studium literarum inveteratam quandam barbariam ex Romanorum moribus disciplinaque delevit. 10) Quum Imperator Commŏdus temulentus obdormivisset: pusio quidam tabŭlam, cui nomina morti destinatorum inscripta erant, secum abstulit. 11) Incendia parum extincta majore flamma reviviscunt. 12) Quum magnae tenĕbrae quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitĭmas regiones obscuravissent, tertio autem die sol subĭto illuxisset: omnes homines revixisse sibi videbantur[296]). 13) Durissime olim Athenienses sciverunt, ut omnibus Aeginētis [297]), qui classe valebant, pollices praeciderentur. 14) Non omnia justa sunt, quae populorum institutis aut legibus scita sunt. 15) Inter bella civilia multae barbarae gentes a Romanis desciverant.

4. *Inchoativa nominalia.*

1) Corpora defatigatione et exercitatione ingravescunt, animi se exercendo[298]) levantur. 2) Uvae a sole mitescunt. 3) Frigoribus adjectis[299]) durescit humor. 4) Diuturna desperatione rerum[300]) animus ad dolorem novum obdurescit. 5) Multae sententiae veterum philosophorum evanuerunt. 6) Ubi oraculi responsum[301]) Athenis innotuit, cives urbem relinquere statuunt. 7) Propter frigora in Gallia frumenta serius quam in Italia maturescunt. 8) Homērum et philosophorum principes in suis studiis senectus non coëgit obtumescere.

Fabeln, Erzählungen und Gespräche zur dritten Conjugation.

1. *Juppiter und der Bauer.*

Rusticus quondam fundum a Jove conduxit hac lege[302]), ut Jovi dimidiam partem fructuum concederet, si Deus omnia ad ipsius nutum faceret: plueret, serēnum coelum faceret, auras mitteret. Fundus deinde sedŭlo colitur,

---

295) *bei weitem.* — 296) sibi videri mit *glauben* zu übersetzen. — 297) Einwohner der Insel Aegina. — 298) se exc., *dadurch dass sie sich üben.* — 299) fr. adj. *durch das Hinzutreten der Kälte.* — 300) der Gen. mit *an* zu übersetzen. — 301) dass sie sich hinter hölzernen Mauern vertheidigen sollten. 302) h. l. *unter dieser Bedingung.*

surguntque segĕtes; Deus pactas tempestatum vices praestat, et, dum imperata facit, nunc uvidum nunc sudum exhibet aëra. Sed quum tempus esset colligendi per messem fruges, inanes aristae spem avidi rustici eluserunt. Subrisit Juppiter et, Vides, dixit, bone, quid profuerit annus a te institutus. Nunc, si placet, videamus annum hunc proximum. Tu arato, pastinato, occato, ut soles; me sine superne regere et arbitrio meo ventos ciere, nubilum et sudum dare. Mox videbis, quanto mea ratio praestet tuae. Quum annuisset rusticus, posterus annus vacua horrea laeto proventu replevit. Ex hoc tempore[303]) homo omisit Deo praescribere et probat, quae ille praestat.

2. *Der Hirsch und sein Junges.*

Cervo patri olim dixit hinnŭlus filius: Tu et major es canibus[304]) et velocior, altaque cornua fronte gestas, cur ergo adeo times eos, pater? Huic cervus respondit: Haec, quae de me narras, vera sunt, mi fili. Natura provida multa nobis tribuit multisque bonis nos instruxit; sed ubi primum[305]) ego latratum canis auribus percipio, vi quadam incognita in pavorem et in fugam agor, et omne praesidium mihi est in pedibus. — Qui timidi sunt ingenii, eos nulla arma, nulla moenia satis texerint.

3. *Der gefährliche Wunsch.*

Armentarius juvencum quaerens, qui a grege aberraverat, percurrebat saltum. Quum illum nusquam deprehenderet, et ab aliquo furtim abactum crederet, dixit: Voveo tibi, Juppiter, haedum, si mihi concedas, ut furem investīgem. Postquam deinde proximam silvam intravit, vidit ibi leonem juvencum suum lacerantem. Tum vero, inops consilii[306]) ac tremens metu, supplex manus ad coelum sustulit, dixitque: Tibi, maxime Juppiter, haedum voveram, si furem deprehendissem; at nunc opīmum bovem promitto, si faucibus ejus evasero. — Humana mens sortis abditae ignara saepe perniciosa pro salubribus petit.

4. *Der erste Seesieg der Römer.*

Gajus Duilius primo Punico bello a Romanis dux contra Carthaginienses missus quum videret, eos multum mari valere[307]),

---

303) ex h. t. *seitdem.* — 304) der Abl. beim Compar. mit *als* zu übersetzen. — 305) u. pr. *sobald als.* — 306) inops cons. *rathlos.* — 307) eos — valere *dass sie vermöchten.*

classem magis validam quam decoram fabricavit et manus ferreas, quas corvos vocaverunt, cum irrisu hostium primus instituit. His inter pugnandum[308]) hostium naves apprehendit, easque vicit ac partim cepit. Hannibal, dux Punicae classis, Carthaginem[309]) fugit et a senatu quaesivit, quid faciendum sibi esset[310]). Quum omnes acclamarent, ut pugnaret: Feci, dixit, et victus sum. Sic poenam crucis effugit; nam apud Poenos dux male re gesta[311]) hac poena afficiebatur. Duilio Romae concessum est, ut funale praeluceret et tibīcen praecineret, quotiens a coena domum[312]) se reciperet.

5. *Oedipus.*

Laius, rex Thebanorum, habuit uxorem nomine Iocasten, sed oraculi responsum ei praedixerat, fore ut a filio suo occideretur[313]). Itaque quum Iocaste filium peperisset, hunc in silva exponi jussit. In hac silva deprehenditur puer a pastore Polybi Corinthii et huic traditur, qui eum tamquam suum educavit Oedipumque vocavit. Quum Oedĭpo adulto aliquando exprobratum fuisset, quod genus suum ignoraret: oraculum Apollinis de origine sua consulere statuit. Ibi fortuito patri occurrit eumque ignarus occidit, quia a comitibus ejus violatus fuerat. Deinde procedens Thebis appropinquavit, cujus urbis in propinquo monte monstrum ingens, Sphinx[314]) appellatum, consederat, omnibus praetermeantibus hoc aenigma proponens: Quid primo quattuor, deinde duobus, postremum tribus pedibus incedit? ea condicione, ut, qui solveret, is ipsi pennas incideret; qui non solveret, monte dejiceretur. Quod aenigma, quum Oedipus, hominem esse[315]) dicens, solvisset, monstrum occidit, et hanc ob rem a Thebanis rex[316]) creatus est.

6. *Meleāger und Atalanta.*

Oeneus, rex Aetoliae, regnum suum turbavit negligentia sacrorum. Nam annua vota pro imperii fructibus celĕbrans numen Diānae contempserat, qua de causa[317]) haec aprum immensae magnitudinis regioni immisit, qui omnes agros vastavit. Hujus feritate fractus Oeneus edictum proposuit, ut dimidiam regni partem acciperet, qui monstrum interemisset.

---

308) inter pugn. *während des Kampfes.* — 309) Carth. *nach Carthago.* — 310) quid f. s. esset *was er thun sollte.* — 311) mal. re g. *nach verlorner Schlacht.* — 312) domum *nach Hause.* — 313) fore ut occideretur *er würde getödtet werden.* — 314) wurde vorgestellt mit dem Haupt und der Brust eines Weibes und dem Leibe eines Löwen. — 315) *es sei der Mensch.* — 316) *zum König.* — 317) q. d. c. *weshalb.*

Meleāger, regis filius, juvenis fortissimus, juventutem undĭque collectam ad illam novi generis expeditionem convocavit. Inter quos Atalanta erat, nobilissima venātrix, quae in saltibus prima omnium aprum sagitta percussit. Postea Meleager ruentem in se feram excepit interemitque, et gratus adversus puellam, quae inter viros virtute excelleret, pellem monstri cum capite ei dedit, ut laudis illius testimonium esset.

7. *Alphonsus et Conradus.*

A. Nulla res melius exercet omnes corporis partes quam pila, sed aptior hiemi quam aestati. C. Nullum anni tempus nobis parum aptum est ad ludendum. A. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. C. Reticulum piscatoribus relinquamus; elegantius est palma captare et jactare pilam. A. Age, concedo; sed quanti[318]) certabimus? C. Optime certabimus nullo praemio. A. At aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus. C. Sic res se habet, ut dicis; uter bis vicerit, rex esto, alter ad nutum ejus omnia facito, quaecunque is jubebit. A. Gravissima sane condicio, sed neuter iniqua jubeat. C. Ecce sodales nostri adventant; invitemus hos ad communionem ludi. A. Sorte igitur partes destinemus; nam sumus fere pares omnes, ut non multum intersit, quis cui conjungatur. C. Age, fiat sortitio. Euge, bene cecidit; contigerunt, quos optabam. A. Et mihi mea sodalitas placet. C. Agedum, animos attendite! Suum quisque locum capiat. Tu mihi consiste a tergo[319]), excepturus pilam, si me transvŏlet; tu istic observa, repulsurus[320]) huc ab adversariis rovolantem. A. Agite, mittite pilam! C. Qui miserit, nec praedixerit, frustra miserit. Hem! accipe igitur. A. Si miseris. extra lineas, vestro damno fuerit[321]); tu sane parum commode mittis. C. Tibi quidem parum, at nobis satis commode. A. Ut miseris, ita remittam. Par pari referam[322]). Sed praestat legitime ludere. C. In ludo pulchrum est arte vincere. A. Habet vero utraque pars suas leges. C. Signa terminum testŭla vel pileo tuo. A. Rursus accipe pilam. C. Mitte. A. Vicimus! C. Praepropĕre tu quidem ante victoriam canis triumphum; rursus pares sumus. A. Nunc serio res agitur. Euge, successit! Ter vicimus. Accipite igitur vos, victi, victoris condiciones. C. Jam appĕtit vespera et sudatum est satis; praestat a ludendo desistere.

---

318) *um wie viel.* — 319) a. t. *im Rücken.* — 320) *um zurückzuschlagen.* — 321) damno est *es gereicht zum Schaden.* — 322) Par pari referre *Gleiches mit Gleichem vergelten.*

8. *Eduardus et Richardus.*

E. Quae causa est, cur tam diu me non viseris? R. Primo per[323]) negotia non licuit, nam pensa imperata cito absolvere studebam; postea vero iter cum patre et fratribus feci. E. Quo cursum direxistis? R. Via ferrata[324]) Postampium[325]) dodrante horae magis rapti quam vecti sumus. Deinde per Vitebergam et Lipsiam Dresdam[326]) contendimus. E. Profecto pulcherrimum iter fecisti et praeclaras urbes visiste. R. Non solum urbes visi sed montes etiam et saltus perlustravi amoenissimos. E. Quos saltus? R. Helvetiam Saxonicam appellant. E. Nisi tu mihi esses amicissimus, et si ipse essem invĭdus homo: inviderem tibi voluptatem, quam ex hoc itinere percepisti. Nunc vero ex narrationibus tuis aeque delectabor ac si tecum[327]) iter fecissem. R. Sed quid tandem tu per longum feriarum tempus fecisti? E. Matutinis horis pensa a magistris data faciebam, meridiano tempore in flumine urbem nostram praeterfluenti lavabar, pomeridianis horis aut cum sodalibus ludebam aut cum parentibus per agros lucosque vicinos ambulabam. R. Jam vero peractum est dulce feriarum tempus, sed recreatae sunt otio corporis vires et excitatum novum discendi studium.

E. Beispiele für die vierte Conjugation.

I. Regelmässige Verba.

a. Activum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Acerba audire tolerabilius est, quam videre. 2) Bene audire[1]) est optimum patrimonium. 3) Preces supplicum exaudi. 4) Esuriens nihil contemnit. 5) Deus animum ut dominum obedienti praefecit corpori. 6) Vespertilio sola volucrum[2]) natos lacte nutrit. 7) Didicisse fideliter artes emollit mores. 8) Homo scit nihil sine doctrīna. 9) Nunquam cupiditatibus serviamus.

---

323) per *wegen.* — 324) v. f. *auf der Eisenbahn.* — 325) *nach Potsdam.* — 326) *nach Dresden.* — 327) *mit dir.*

1) b. audire übersetze: *ein guter Ruf.* — 2) der Genit. durch *unter* zu übersetzen.

10) Nulla lassitudo officium fidemque impediat. 11) Amicitiae officia religiosissime custodiamus. 12) Optimus quisque maxime posteritati servit. 13) Lepŏres patentibus oculis[3]) dormiunt. 14) Sunt qui[4]) totos dies dormiant. 15) Augustus non amplius senas horas dormiebat. 16) Natura oculos membrānis tenuissimis vestivit. 17) Dejŏces Ecbatanorum[5]) arcem septem muris munivit. 18) Anaxagŏras philosŏphus constanti vultu nuntium de morte filii audivit. 19) Septem horas dormivisse homini sufficit. 20) Spurius Carvilius consul septuagesimo altero tandem anno bellum cum Samnitibus finivit. 21) Subsellia in foro disposita Ti. Gracchi fugam inpediverunt. 22) Nullam rem, ne sacra quidem, Romani tam diligenter custodiebant quam libros Sibyllinos[6]). 23) Philosophia homines primum ad Deorum cultum, deinde ad omnes bonas artes erudivit. 24) Lycurgi leges laboribus erudiunt juventutem: currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Calamitates erudiunt et modestiores reddunt. 2) Est profecto Deus, qui et audit et videt, quae nos gerimus. 3) Omnes profecto libentius liberi sumus, quam servimus. 4) Parthi, quo plus biberint, eo magis sitire dicuntur. 5) Perses rex ita Macedoniam armis operibusque muniverat, ut nullum reliquisse adĭtum hostibus videretur. 6) Eadem fortuna, que nos impedivit, interdum etiam molestiis expĕdit. 7) Quid verba audiam, quum facta videam? 8) Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. 9) Pythagorēi, quid quoque die dixissent, audivissent, egissent, vespĕri[7]) commemorabant. 10) Obeditote aliis, ut vobis quoque alii obediant. 11) Saepe ne utile quidem est scire, quid futurum sit. 12) Nemo tam sine mente et oculis est, ut, quid sit sementis ac messis, omnīno nesciat. 13) Socrates dicere solebat: Equidem[8]) edo et bibo, quando esurio atque sitio; alii vero non[9]) esurientes edunt, bibuntque non[9]) sitientes. 14) Leonum feritas inter se[10]) non dimĭcat, serpentum morsus non petit serpentes, ne maris quidem belluae ac pisces nisi[11]) in diversa genera saeviunt; at hercŭle homini plurima ex homine sunt mala.

---

3) der Ablat. durch *mit* zu übersetzen. — 4) est qui *mancher*. — 5) Ecbatana war die Hauptstadt von Medien. — 6) in diesem waren die wichtigsten Weissagungen über den Römischen Staat enthalten. — 7) vesperi *am Abend*. — 8) *Ich für meinen Theil*. — 9) *non* mit dem Participio ist durch *ohne zu* und nachfolgenden Infinit. zu übersetzen. — 10) inter se *unter einander*. — 11) ne — quidem — nisi *auch — nur*.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Exemplis optime erudimur. 2) Concordia magis quam operibus imperia muniuntur. 3) Labore, sudore, cursu, fame, siti condiebatur coena Spartanorum. 4) Veteres Britanniae incŏlae pellibus vestiti erant. 5) Salus publica interdum minus est custodita quam sua cuique[12]) res familiaris[13]). 6) Ingenita feritas Gallorum Asiatica amoenitate[14]) mollita est. 7) In civium discordiis odium partium non finitur cum bello. 8) Post cladem Varianam in captīvos saevitum est a Germanis. 9) Audiatur et altera pars. 10) Tempore emolliuntur irae. 11) Contra injuriam potentiorum nemo satis munitus est. 12) Alexander Magnus ab Aristotĕle philosŏpho erudiebatur. 13) Multis castellis fines imperii Romani contra Germanorum incursiones muniti erant. 14) Vitia naturalia corporis et animi arte leniuntur. 15) Ab Imperatore Vespasiano primo[15]) nemo innocens punitus est. 16) Imperatoris Titi brevis principatus tribus magnis calamitatibus[16]) insignitus erat. 17) Praeceptores attentissime audiantur. 18) Pugna ad Zamam bellum Punicum secundum finitum est. 19) Archimēdis[17]) sepulcrum, vepribus et dumētis vestitum, Cicero Syracūsis[18]) indagavit. 20) Omnia etiam acerbissima mala aliquando finientur. 21) Alpibus Italia quasi naturali quodam vallo contra barbaras gentes munita erat. 22) Agri Aegypti molliuntur oblimanturque ex Nili inundatione. 23) Omnes arces Italiae, levibus praesidiis a Pompejo munitae, subĭto Caesaris impĕtu oppressae sunt. 24) Bello civīli in ipsa urbe Romae aliquanto[19]) crudelius quam in hostīli urbe saevitum est.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Quod multis placet, difficile custoditur. 2) Bellum Illyricum ante finitum est, quam geri Romae nuntiaretur. 3) In pace odia, etiamsi non finiantur, certe intermittuntur. 4) Cui[20])

---

12) s. cuiq. *eines jeden.* — 13) r. fam. *Privateigenthum.* — 14) Gallier (Bewohner des heutigen Frankreichs) waren nach Asien gewandert, wo sie nachher Galăter hiessen. — 15) primo *zuerst.* — 16) ein furchtbarer Ausbruch des Vesuvs, der die Städte Herculanēum und Pompēji verschüttete, ein grosser Brand zu Rom und eine Pest. — 17) der berühmte Mathematiker, welcher Syrakus gegen die Römer vertheidigte. — 18) zu Syrakus. — 19) *bei weitem.* — 20) der Dat. mit *von* zu übersetzen.

non auditae sunt Demosthĕnis vigiliae, qui magnopere doluit, si quando[21]) opificum antelucana victus erat industria? 5) Illaqueatus omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium implicatus expectatione supplicii Catilina Roma excessit. 6) Dummŏdo[22]) contra tempestatem tecti et vestiti simus, ornatum parum desideramus. 7) Dum Imperator Commŏdus venatione vinoque sopitus jacet, conjurati ei necem parabant. 8) Non tam semper stulti quam sero sapientis est[23]), quum impeditus sit, quoquo modo liceat[24]), se expedire. 9) Optime ab Alexandro Magno Gordii regis nodus[25]) expeditus est, qui gladio eum rupit, non solvit. 10) Etiamsi non ab omnibus auditi sumus: non irrĭta tamen effluxerunt, quae monuimus. 11) Quum post Cannensem cladem nimio luctu omnia sacrificia intermissa essent: senatus finiri[26]) luctus triginta diebus[27]) jussit. 12) Semirămis regīna, ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu populum quoque vestiri[28]) jubet; quem morem vestitus exinde gens universa retinuit.

II. Unregelmässige Verba.

a. Activum.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS.

1. *Einfache Sätze.*

1) Quidam rerum scriptores puerilibus fabulis libros suos referserunt. 2) Labantem et prope cadentem rempublicam Romanam singuli viri aliquamdĭu virtute sua fulserunt. 3) Multi nec sane ignobiles viri Imperatoris Tiberii jussu venēnum hauserunt. 4) Ex Graecis literis tamquam ex perennibus fontibus nos quoque omnem fere eruditionem humanitatemque haurimus. 5) Bellum Punicum secundum omnes Carthaginiensium facultates exhauserat. 6) Immodĭca proconsŭlum[29]) avaritia atque luxuria omnes provincias imperii Romani exhauserunt. 7) Alexander Magnus solus de muro in hostīle oppĭdum saluit. 8) Caesar in portu Alexandrīae e navigio suo, nimia hominum multitudine onerato, in mare desiluit. 9) Empedŏcles, Agrigen-

---

21) quando nach *si* statt *aliquando*. — 22) *wenn nur*. — 23) sero sapiens *einer der zu spät klug wird*. — 24) q. m. l. *auf die möglich beste Art*. — 25) Ein alter Orakelspruch verkündigte dem die Herrschaft über Asien, der diesen Knoten lösen würde. — 26) finiri *dass beendigt werden sollte*. — 27) trig. diebus *innerhalb 30 Tagen*. — 28) vestiri *sich zu bekleiden*. — 29) den Titel *Proconsul* erhielt der gewesene Consul als Statthalter einer Provinz.

tīnus philosŏphus, in flagrantis Aetnae voraginem insiluit. 10) Teutobochus, Teutonorum rex, quaternos senosque equos transilire solebat. 11) Cretensium leges Juppiter ipse sanxerat. 12) Antonius Caesaris acta[30]) veteranorum ope sanxit. 13) Caesar detrimentum a Pompejanis circa Dyrrhachium acceptum mox resarsit. 14) Non sentiunt viri fortes in acie vulnera. 15) Emendata juventute[31]) omnes ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum sentient. 16) Romani in Capitolio a Gallis obsessi jam famem sentiebant. 17) In itinere ad templum Jovis Ammōnis[32]) comites Alexandri calorem vix tolerabilem senserunt. 18) Bello civīle omnes fere Senatores cum Pompējo[33]) sentiebant. 19) Brutus et Cassius in caedem Caesaris consenserant. 20) Cato a Caesare universa vitae ratione et toto animo dissensit. 21) Pompēji corpus obtruncatum unus ex libertis ejus in litore maris sepelivit. 22) Lacedaemonii primo[34]) Pausaniae regis corpus telis confossum in abdito loco sepeliverant. 23) Pyrrhus primus[34]) cum elephantis in Italiam venerat. 24) Regŭlus, fortissimus imperator, vivus in hostium manus venit. 25) Fulmen uno eodemque momento venit, percŭtit, abscedit. 26) Veniet tempus mortis et celeriter quidem. 27) P. Scipio primus[34]) ducum Romanorum victor ad Gades et Oceanum pervenit. 28) Simonĭdes memoriae artem invenit. 29) Aenēas primus[34]) ob oris Trojae in Italiam advenit. 30) Vincire civem Romanum non licebat. 31) Sanguinis conjunctio homines benevolentia et caritate devincit. 32) Ver aperit navigantibus maria. 33) Baleāres primo impĕtu[35]) ingenti lapidum saxorumque nimbo classem Romanam operuerunt. 34) Nihil certi[36]) de Britannia ante Caesaris expeditionem Romani compererant. 35) Polycrātes anŭlum in mare dejectum postero die in alvo piscis reperit. 36) Pariĕtem interdum feriunt homines gravi dolore et indignatione commoti. 37) Equos ferocientes frenis coërcemus.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Bene dormit, qui non sentit, quam bene dormiat. 2) Gratius est donum, quod venit ante preces. 3) Effuge ma-

---

30) *was Caesar in seinem Testamente verordnet hatte.* — 31) emend. juv. *durch Besserung der Jugend.* — 32) dieser lag auf einer Oase in der Libyschen Wüste südwestlich von Aegypten. — 33) s. cum aliquo *es mit Jemandem halten.* — 34) primo *zuerst*, weil sie ihn nachher an einem andern Orte begruben; und *primus* weil er der erste war, der etc. — 35) primo imp. *in der ersten Heftigkeit.* — 36) *Nichts Sicheres.*

lum, invĕni bonum. 4) Ut quidam homines morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, avāri, facinorosi verae laudis gustum non habent. 5) Alexander tanta celeritate hostes oppressit, ut, quem venire non senserant, se[37]) videre vix crederent. 6) Populus Romanus, quum ad fretum[38]) usque victor[39]) venisset, paulisper substitit. 7) Apud Ticīnum fluvium exercitus Romanus primum ab Hannibăle fusus est, ac paene ipse dux Scipio in manus hostium venit. 8) Quum legati Romani ad Ariovistum, Germanorum principem, dicerent, Veni ad Caesarem: hic respondit: Quis est ille Caesar? Si libet, ipse ad me veniat. 9) Caesar in Germania hostes, quos vinceret, non invēnit. 10) Idem aerarium, quia tardius aperuerunt tribūni[40]), jussit effringi[41]). 11) Tantae nubes locustarum aliquando a mari vento[42]) in Apuliam venerunt, ut examinibus suis agros late operirent. 12) Anaxagŏras philosŏphus, quum mortem filii comperisset, minime commotus hoc nuntio dixit: Nihil mihi inexpectatum aut novum nuntias, fuit enim ille mortalis.

b. Passivum.

1. *Einfache Sätze.*

1) Anserum clangore Romani in Capitolio inclusi somno exciti sunt. 2) Roma magna multitudine sceleratissimorum hominum referta erat. 3) Rhodus insula divitiis referta fuit. 4) Portĭcus columnis fultae sunt. 5) Imperium Romanum gloria sua et benevolentia sociorum fultum erat. 6) Optima vitae praecepta ex libris sacris hauriuntur. 7) Amicorum benignitas perpetuis beneficiis facile exhauritur. 8) Bellis civilibus aerarium Romanum maxime exhaustum est. 9) Foedus Romanorum cum Latīnis solemnibus sacris sanctum erat. 10) Sevēra Romanorum disciplīna militaris Manlii, fortissimi adolescentis, capite[43]) sancta est. 11) Interĭtu totius fere gentis Samnītis detrimentum in furcŭlis Caudīnis acceptum a Romanis sarciebatur. 12) In oppido diu obsesso fames vehementissime sentitur. 13) Homines mortui in urbe Romana non sunt sepulti. 14) Imperatoris Vitellii corpus non sepultum sed in Tibĕrim

---

37) wird bei der Uebersetzung nicht ausgedrückt. — 38) nämlich zwischen Italien und Sicilien. — 39) *als Sieger* oder *siegreich.* — 40) dies waren die tribuni aerarii, *die Verweser des Staatsschatzes.* — 41) *zu erbrechen.* — 42) *mit dem Winde.* — 43) caput, wenn von Strafen die Rede ist, mit *Todesstrafe* zu übersetzen.

abjectum est. 15) Omnes Macedoniae fauces validis munimentis a Perse rege septae erant. 16) Regia Dionysii tyranni perpetuo custodibus septa erat. 17) Nihil simul est inventum et perfectum. 18) Literae a Phoenicibus inventae esse dicuntur[44]. 19) Perses rex vinctus ab Aemilio Paulo in triumpho ductus est[45]. 20) Haud raro olim capti reges et duces catēnis vincti sunt. 21) Simulācrum aureum in templo Caligŭlae dicato quotidie eadem, qua[46]) Imperator, veste amiciebatur. 22) Pacis toga, saga belli tempore[47]) cives Romani amicti erant. 23) Catilina post pugnam apud Faesŭlas[48]) longe a suis inter hostium cadavera repertus est. 24) Ptolemaei, ultimi Aegypti[49]) regis, corpus post proelium cum Caesare commissum, limo obrŭtum, in aurea lorīca repertum est. 25) In foedere faciendo[50]) porca feriri solebat.

2. *Zusammengesetzte Sätze.*

1) Omnibus temporibus pauciores homines reperti sunt, qui cupiditates suas, quam qui hostium copias vincerent. 2) Haec lex inter amicos sancta esto, ut nec rogent turpia nec faciant rogati[51]). 3) Vitis, quae natura[52]) cadūca est, nisi fulta sit, ad terram trahitur. 4) Nulla alia de causa[53]) leges sunt inventae, nisi[54]) ut cives incolŭmes conservarentur. 5) Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. 6) Qui in bello occubuerant, Athenis[55]) publice[56]) sepeliebantur. 7) Quum Germanĭcus[57]) victor saltus Germaniae peragraret, locus ac reliquiae Varianae cladis[58]) ab eo repertae sunt. 8) Capite[59]) a Solone sanctum erat, si quis in seditione non alterutrius partis[60]) fuisset. 9) Jugurtha rex, quum catēnis vinctus et omni cultu privatus in barăthrum detruderetur, subrisisse dicitur[61]). 10) Etsi omnes facultates Carthaginiensium secundo bello

---

44) *sollen.* — 45) in tr. duci *im Triumphe aufgeführt werden.* — 46) qua *wie*, denn unser *wie* wird nach einem Pronomen demonstrativum durch ein Pronomen relativum ausgedrückt. — 47) von tempore hängt *pacis* und *belli* ab und die beiden andern Ablative vom Verbo. — 48) in dieser Schlacht wurde sein ganzes Heer aufgerieben. — 49) *von Aegypten.* — 50) in foed. ac. *bei der Schliessung eines Bündnisses.* — 51) rogati *wenn sie darum gebeten werden.* — 52) *von Natur.* — 53) *de* regiert hier auch *nulla alia* und ist mit *aus* zu übersetzen. — 54) hier *als*, wegen der vorhergehenden Verneinung. — 55) zu Athen. — 56) *auf öffentliche Kosten.* — 57) diesen Beinamen hatte der Neffe des Kaisers Tiberius, weil er in Germanien (Deutschland) geboren war. — 58) durch diese wurde im Jahre 9 nach Christi Geburt Deutschland von der Römischen Herrschaft befreit. — 59) *bei Todesstrafe.* — 60) alicujus partis esse *zu einer Partei gehören.* — 61) *soll.*

Punico prorsus exhaustae erant: tamen haud ita multo post[62]) eorum opes adeo reviruerunt, ut ipsi Romani denuo timere inciperent. 11) Si eum tantum felicem habere debemus, qui neminem se[63]) feliciorem putet: nemo reperietur felix. 12) Nullius res[64]) tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita est contra improborum hominum cupiditatem et audaciam.

Fabeln, Erzählungen und Gespräche zur vierten Conjugation.

1. *Der Vater und seine Söhne.*

Pater aegrōtus, quum mortem jam prope adesse sensisset, filios ad lectum suum convenire jussit[65]), iisque haec dixit: Maximam auri vim in vinea condidi terraque operui; proinde hanc post obitum meum effodite. Liberis rogantibus, uti ederet, ubi aurum lateret, ille nihil aliud respondit, quam: Effodite! et statim expiravit. Filii, ut primum[66]) patrem sepeliverunt, totam vineam ligonibus versarunt humumque effossam in minutas glebas fregerunt. Sed vinea subacta labore[67]) uberrima vindemia filios ditavit. Tum primus horum dixit. Hic ille nimīrum thesaurus est, quem sedŭlus pater nobis moribundus reliquit: noster, o fratres, labor. — Sua cuique vitae industria instar est opum.

2. *Der Wolf und die Mutter.*

Quum olim lupus esuriens agros percurreret, ad tugurium pervenit, unde vagientem puerŭlum et matrem exaudivit objurgantem, se[68]), nisi flere desisteret filius, eum lupo traditurum[68]). Lupus serio ista dicta esse putans restitit et expectabat, dum puerulus contŭmax sibi objiceretur. Quum sic aliquot horae praeterissent: rursus audivit mulierem voce blanda dicere infanti, Bono animo es, dulcissime fili, nam lupum, si raptor ille huc venerit, mactabimus. Tum denique lupus omnem spem abjecit et tristis in silvas recēdens, Proh Juppiter! exclamavit, alia dicunt, alia faciunt hice mortales.

---

62) haud i. m. post *nicht eben lange nachher.* — 63) *als sich.* — 64) *Eigenthum.* — 65) *liess.* — 66) ut. pr. *sobald als.* — 67) sub. lab. *umgearbeitet.* — 68) se trad. *dass sie übergeben würde.*

3. *Der Prahler.*

Quidam, quum a peregrinatione longinqua domum revenisset, multa egregie facta[69]) ab se in peregrinatione jactabat. Inter quae[70]) narravit: Saltavi Rhodi tam strenue, ut nemo ex ea urbe me aequaret, quamvis multi operam darent; cujus rei habeo testes sane graves et idoneos. Tum ei ex corona quidam acclamavit: Amice, quid testes adducis, quum facile tibi sit, verba tua re probare? Nam si verum est, quod narras, fidem nobis res ipsa faciat[71]); hic Rhodus est, hic salta.

4. *Der Wahrsager.*

In coetu populi medio foro[72]) olim vates rogantibus fata, quae quemque manerent, praedixit. Ecce supervenit securo nuntius, qui exposuit, fures per apertas fenestras in domum illius penetrasse[73]) et omnes res, quae intus erant, asportasse. Ille gemens citato gradu[74]) inde domum se proripuit. At unus de plebe eum interrogavit, Cur tu, qui aliis fata praedixisti, non ipse tibi instantia damna praevidisti? — Qui sibi non sapit, hic sapiens mihi erit nunquam.

5. *Der Räuber und seine Mutter.*

Latro capitis[75]) damnatus ad supplicium ducebatur poenas sceleratae vitae daturus. Cui quum[76]) mater moesta in conspectum venisset[77]) tristem sortem filii deplōrans: hic, ut ad matrem pauca verba facere[78]) sibi licēret, extremaque ei oscula dare, rogavit. Sed quum ad matrem accessisset, ejus vultum morsu laceravit. Plebs circumfusa[79]) tum maledixit scelerato homini, immanemque perricīdam appellavit. At ille, Audite, inquit, cives, neve[80]) me indicta causa[81]) damnate! Causa exitii mihi mater sola fuit; nam puerilibus annis[82]), si quid forte aequalibus meis, ipse honesti ignarus, subripuissem[83]), laeta illa et blandis verbis furtum excepit. Sic mihi augebatur

---

69) egr. facta *ausgezeichnete Thaten.* — 70) *Unter andern.* — 71) fidem mihi facit *überzeugt mich.* — 72) m. f. *mitten auf dem Markte.* — 73) fures — penetrasse *dass Diebe eingedrungen seien.* — 74) cit. gradu *mit eiligem Schritte.* — 75) *zum Tode.* — 76) Cui quum *als ihm.* — 77) in consp. venire *zu Gesicht kommen.* — 78) v. fac. *Worte richten.* — 79) *herumstehend.* — 80) *und nicht.* — 81) ind. causa *ohne Vertheidigung.* — 82) pueriles anni *Knabenjahre.* — 83) durch den Indicat. zu übersetzen; der Conjunctiv steht wegen der Wiederholung der Handlung.

subinde illa prava cupido et assuevi scelerato vitae generi, propter quod poenas jam sum daturus. Quodsi me mater teneris annis castigasset, ad probos mores mens mea esset conversa.

6. *Der Volkstribun C. Gracchus.*

Gajus Gracchus, tribunus plebis, agrarias et frumentarias leges[84]) promulgavit, colōnos etiam Capuam et Tarentum mittendos[85]) censuit. Triumvĭros[86]) agris dividendis[87]) se et Fulvium Flaccum et C. Crassum constituit. Quum Minucius Rufus tribunus plebis legibus ejus obstaret, in Capitolium venit. Ubi quum Antyllius, praeco Opimii consulis, in turba fuisset occisus: in forum descendit et imprūdens contionem a tribuno plebis avocavit. Quam ob rem accersitus, quum in senatum non venisset, cum armata familia Aventīnum montem occupavit. Sed ab Opimio victus, dum a templo Lunae desilit, talum intorsit. Deinde ab adversariis undique petitus, quum in templum Furīnae pervenisset, vel sua vel servi Eupŏri manu interfectus est. Caput, propter avaritiam infuso plumbo gravius factum, Opimio traditum auro expensum esse dicitur[88]).

7. *Petrus et Johannes.*

P. (foris) Heus, heus! puer, nemone adest? J. Hic effringet fores; familiaris certe est. (Aperit portam.) O lepidum caput! Quid novi[89])? P. Ad te advenio, ut te mecum[90]) abducam; nam tu quidem cochlĕae vitam agis. J. Quid ita[91])? P. Quia perpetuo domi[92]) latĭtas, nec usquam prorēpis. J. Est, quod agam[93]) domi; foris nihil est negotii. Et si quid esset, tamen hoc coelum me dies aliquot a publico cohibuisset. P. At nunc serēnum coelum est et invĭtat ad ambulandum. J. Si ambulare libet, non recūso. P. Asciscamus unum aut alterum sodalem. J. Consentio; sed dic modo, quos asciscamus. P. Quid, si Hugonem? J. Haud multum interest inter Hugonem et nugonem. P. Quid, si Augustum? J. Homo minime mutus est. P. Si placet, Nicolaum adjungemus. Si quidem dabitur illius copia[94]): nunquam erit fabularum inopia. J. Placent congerrones; superest, ut locum circumspicias amoenum. P. Ego vero locum tibi

---

84) agr. et frum. leges *Gesetze über die Vertheilung von Aeckern und Getreide.* — 85) mittendos *dass geschickt würden.* — 86) Tr. *zu Triumvirn.* — 87) agris div. *zur Vertheilung der Aecker.* — 88) dic. *soll.* — 89) *Was giebt's.* — 90) *mit mir.* — 91) *Wie so?* — 92) *zu Hause.* — 93) Est q. ag. *ich habe zu thun.* — 94) datur alicujus copia *man kann jemand bekommen.*

ostendam, ubi nec nemŏris umbram nec pratorum viriditatem nec fontium scatĕbras desiderabis.

8. *Theodorus et Rudolphus.*

Th. Libetne decertare saltu? R. Libet quidem, sed quod saliendi genus placet? Th. Incipiamus ab eo, quod est simplicissimum, a saltu locustarum sive potius ranarum. R. Quod hoc est genus? Th. Utrāque tibiā sed junctis pedibus. Qui longissime saluerit, vicerit. Hujus ubi erit satietas, alio atque alio genere exerceamur. R. Equĭdem nullum recusabo genus. Th. Quid si saliamus unica tibia? R. Pertĭca fultum salire imprīmis est elĕgans. Th. Ceterum jam satis saluimus, certemus cursu. R. Recte dixisti. Hoc loco sint carceres, quercus ista sit meta. Th. Ne tu prior curras; signo dato[95]) simul curramus. R. Quum tertio manibus plausero, curritor. Th. Euge vici! Tribus passibus te superavi. R. At vero certamen non erat aequale. Tu multo me es longior statura, itaque me cruribus non passibus superasti.

F. Deponentia.

I. Nach der ersten Conjugation.

1) Reprehendere facilius est quam imitari. 2) Sola spes homines in miseriis consolari solet. 3) In miseriis versamur et versabimur. 4) Imprŏbus poenam moratur, non effŭgit. 5) Remĭgem cantus hortatur. 6) Ubi libīdo dominatur: innocentiae leve praesidium est. 7) Nero aureis retibus piscabatur. 8) Socrătes totius mundi se incolam et civem arbitrabatur. 9) Fugitīvi, Spartăco duce[1]), totam Italiam pervagabantur. 10) Tribuni plebis favorem populi legibus agrariis[2]) aucupabantur. 11) Germani saepe Rhenum[3]) transmittere conati sunt. 12) Ciminium invium olim Italiae saltum Fabii Maximi consulis frater pastorio habitu[4]) speculatus est. 13) Populus Romanus per CCL annos[5]) cum finitĭmis gentibus luctatus est.

---

95) s. d. *auf ein gegebenes Zeichen.*

1) Spart. d. *unter Anführung des Sp.* — 2) l. agr. *das Ackergesetz.* — 3) die mit *trans* zusammengesetzten Intransitiva werden mit dem Accus. verbunden. — 4) past hab. *in Hirtenkleidung.* — 5) *per* bei der Zeitbestimmung *hindurch.*

14) Mithridātes fugiens sparsis sarcĭnis et pecuniis Romanos victores[6]) moratus est. 15) Plebs Romana aliquando sedes suas reliquit, et patriae solitudinem atque interĭtum minata est. 16) Quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis? 17) Quem magis admiremur, quam qui ipse sibi imperet? 18) Populus Romanus Coriolanum, clarissimum virum, quum adversaretur voluntati suae, exilio multavit. 19) Tarquinius Superbus, quum caedibus et superbia etiam in[7]) Senatum grassaretur, expulsus est. 20) Agrippīna, Imperatoris Claudii conjux, habuit turdum hominum voces imitantem. 21) Nihil aliud ex[8]) Platonis sententia est discere, quam recordari. 22) Praesentia ordĭna, futura provĭde, praeterĭta recordare. 23) Nimium altercando veritas amittitur. 24) Legati Samnitium, qui speculaturi[9]) fidem Curii accesserant, magnitudinem viri in voluntaria paupertate integerrimi admirantes[10]) discesserunt.

II. Nach der zweiten Conjugation.

1) Is fatetur facĭnus, qui indicium fugit. 2) Hiero, Syracusarum rex, se prius a Romanis victum[11]), quam hostem videret, fassus est. 3) Nihil accusatori optabilius est quam reus, qui facĭnus confessus est. 4) Romani legatis Atheniensium auxilium contra Philippum, Macedŏnum regem, professi sunt. 5) Catilīna sociis suis maria ac montes[12]) pollicebatur. 6) Julianus militibus praetorianis pro imperatoria dignitate ingentem pecuniae vim pollicitus est. 7) Simul cum Juliano gener Pertinācis, occisi Imperatoris, vile tum et projectum imperium Romanum[13]) licitus est. 8) Consolatio medetur afflictis animis[14]). 9) Qui sero consolatur, non vulneribus sed cicatricibus[14]) medetur. 10) Bene de republica mereri, gloriosum est. 11) Cicero optime de republica Romana meritus erat. 12) Saepe senatus Romanus, miseritus plebis, decretis suis inopiae illius opitulatus est. 13) Ignosce errantibus, miserere calamitosorum hominum. 14) Hannĭbal optimum ratus est, bellum cum Romanis in ipsa Italia gerere. 15) Romani semper rebantur, melius esse[15]) bellum extra quam intra fines

---

6) hier adjectivisch: *siegend.* — 7) hier *gegen.* — 8) hier *nach.* — 9) *um auszukundschaften.* — 10) admirantes regiert magnitudinem *voll Bewunderung der Grösse.* — 11) se victum *dass er besiegt sei.* — 12) mar. ac. mont. sprichwörtlich wie unser: *goldene Berge.* — 13) das, worauf man bietet, steht bei *liceri* im Accus. — 14) mit dem Accus. zu übersetzen. — 15) melius esse *es sei besser.*

Italiae gerere. 16) Fides melius quam ferrum tuetor principem. 17) Suos quisque debet tueri. 18) Jucundum est mare a terra intueri. 19) Qui acriter solem deficientem[16]) oculis intuiti sunt, adspectum omnīno amiserunt. 20) Tam Romanorum quam[17]) Albanorum exercitus certamen Horatiorum et Curiatiorum suspensis animis[18]) contuitus est. 21) Aristīdis justitiam ac probitatem omnes cives veriti sunt. 22) Milites Romani aspernantes veterem disciplīnam ita turpi imperio[19]) Neronis assuefacti erant, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur. 23) Etiam quae liberae erant gentes, senserunt Romani imperii magnitudinem, et victorem[20]) gentium populum Romanum reveriti sunt.

III. Nach der dritten Conjugation.

1) Qui nimium concupiscit honores, raro eos adipiscitur. 2) Alexander immortalitatis gloriam adeptus est. 3) Quin igitur[21]) expergiscimini! 4) Epimenĭdes puer, quum aliquando itinere ac labore fessus obdormivisset, post quinquaginta septem annos demum experrectus est. 5) Bellum gerimus, ut pace[22]) fruamur. 6) Diuturna pace sub Caesaribus[23]) demum respublica Romana fruita est. 7) Caninius uno tantum die[24]) honore Consulatus fructus est. 8) Aristīdes per totam vitam perpetuo omnibus justitiae officiis[24]) functus est. 9) Cicero summa cum laude Consulatus munere functus est. 10) Marius, quum inimicorum iracundiam fugeret, maximis periculis[24]) defunctus est. 11) Quaedam bestiae sunt serpentes, quaedam gradientes. 12) Hilări vultu et hymnos in[25]) Dei honorem canentes Christiani olim ad mortem gradiebantur. 13) Precibus Campanorum moti Romani Samnītes aggressi sunt. 14) Romani, quum longius essent in invios Germaniae saltus progressi, non solum ferro hostium sed fame, frigore, omniumque rerum inopia conficiebantur. 15) Hannibal, quum frustra Romam urbem aggressus esset, in ultimum Italiae sinum se recepit. 16) Olympiae per stadium ingressus est Milo Crotoniātes[26]) humĕris bovem sustinens. 17) Si quis in homines

---

16) sol deficiens *eine Sonnenfinsterniss.* — 17) tam — quam *sowohl — als auch.* — 18) susp. animis *in gespannter Erwartung.* — 19) der Ablat. hier mit *unter* zu übersetzen. — 20) *als den Sieger.* — 21) quin. ig. *wohlan.* — 22) der Ablat. durch den Genit. zu übersetzen. — 23) der Name Caesar wurde später bei den Römern Titel, woraus unser *Kaiser* entstanden ist. — 24) der Ablat. mit dem Accus. zu übersetzen. — 25) hier *zu.* — 26) ein wegen seiner Körperstärke berühmter Griechischer Wettkämpfer aus Croton.

caros acerbius invehetur, nonne hos a se alienabit? 18) Cicero in senatu acerbissime in Catilinam invectus est. 19) Irasci iis, quos amare debemus, nefas est. 20) Iratus ei, a quo laesus est, maximum dolorem inurere cupit. 21) Eheu! fugaces quam labuntur anni! 22) Duri severique Romanorum mores paulatim ad mollitiem lapsi sunt. 23) Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur. 24) Ancilia erant scuta, quae de coelo delapsa esse dicebantur[27]). 25) Qui nescit tacere, nescit loqui. 26) Audi multa, loquere tempestīva[28]). 27) Alia voce psittăcus, alia coturnix loquitur. 28) Imperator Tiberius saepe aliter locutus est atque sentiebat. 29) Ante pugnam apud Zamam Hannibal cum Scipione collocutus est. 30) Augustus omnes etiam infimos cives benigne allocutus est. 31) Fabius Maximus cunctando novam de Hannibale victoriam[29]) commentus est. 32) Reminiscebamini, miseri Graeci, veteris majorum vestrorum gloriae. 33) Quum Phocion Atheniensis, proditionis accusatus, ad judices propter aetatem veheretur: multi, veteris ejus famae recordati, aetatis miserti sunt[30]). 34) Nunquam est ille miser, cui facile est mori. 35) Dulce et decōrum est pro patria mori. 36) Homo totiens moritur, quotiens amittit suos. 37) Alexander Magnus in ipso victoriae cursu mortuus est. 38) Milo Crotoniātes senex adspexisse lacertos suos dicitur, lacrimansque dixisse: at hi quidem[31]) jam mortui sunt. 39) Multi homines non essent praematūre mortui, si temperantiae[32]) assuevissent. 40) Immānes belluas nanciscimur venando. 41) Antonius potestatem, quam aliquamdiu habebat, per scelus nactus erat. 42) Milvo est[33]) quoddam bellum quasi[34]) naturale cum corvo. Ergo alter alterius[35]), ubicunque nactus est, ova frangit. 43) Non nascitur ex malo bonum. 44) Nascentem extinguite flammam. 45) Eadem nocte, qua Alexander natus est, Ephesiae Diānae templum[36]) incendio conflagravit[37]). 46) Eodem die, quo pugna apud Salamīnem commissa est, Euripĭdes poëta natus est. 47) Fide ac pietate civium, tamquam firmissimo praesidio, nituntur civitates. 48) Optimi cujusque animus maxime ad

---

27) *sollten.* — 28) tempestiva *was sich gerade schickt.* — 29) nova victoria *eine neue Art von Sieg.* — 30) aet. mis. sunt *hatten Mitleid mit seinem Alter.* — 31) at — quidem *aber — doch.* — 32) der Dat. mit *an* zu übersetzen. — 33) *Der Weihe hat.* — 34) quoddam — quasi *gewissermassen.* — 35) alter alterius *der Eine des Andern.* — 36) der Tempel *der Diana zu Ephesus* war einer der prächtigsten im Alterthume. — 37) incendio conflagrare *in Feuer aufgehen.*

immortalem gloriam nititur[38]). 49) Pompejus, senatus auctoritate nixus, Caesarem Gallia provincia decedere jussit. 50) Sejanus, Tiberii Imperatoris favore[39]) nisus, summam potestatem sibi vindicavit. 51) Stultitiae[40]) est, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. 52) Ante pugnam apud Zamam Hannĭbal milites adhortatus est, ut reminiscerentur pristĭnae virtutis suae, neve[41]) mulierum liberorumque obliviscerentur. 53) Oedĭpi, Thebanorum regis, filii inter se pacti erant, ut alternum imperium haberent[42]). 54) Tarquinius Priscus rex Sibyllae Cumanae[43]) trecentos nummos aureos, quos primo pro novem libris suis pacta erat, pro tribus postea solvit. 55) Vir fortis[44]) ac strenuus, quae pasciscetur, servabit. 56) P. Claudius Pulcher pullos[45]), quum non pascerentur, in mari jussit demergi[46]). 57) Caesar erat in victoria clementissimus, neque enim cujusquam[47]) caede aut cruciatu[48]) pastus est. 58) Patiare potius ipse quam facias injuriam. 59) Regŭlus omnes cruciatus Poenorum fortiter passus est. 60) Vir bonus pro patria omnes calamitates perpetitur. 61) Animi magnitudo complectitur in se omnes virtutes. 62) Darīi uxor supplex Alexandri Magni genua amplexa est. 63) Conjux, liberi, amici, omnes denique cives Regŭlum flentes complexi sunt, ut eum redĭtu ad hostes prohiberent. 64) O praeclarum diem[49]), quum ad illud animorum concilium coetumque proficiscemur! 65) Catilina nocte intempesta[50]) cum paucis in Manliana castra[51]) profectus est. 66) Alexander Magnus ad extremos usque Indos profectus erat. 67) Quidam homines aut queruntur semper aliquid aut etiam exprŏbrant. 68) Incolae provinciarum haud raro de injuriis ac vexationibus praesidum apud senatum Romanum questi sunt. 69) Gloria fugit sequentes[52]), sequitur fugientes. 70) Bellum contra Hetruscos secutum est Tarentīnum. 71) Ut ponuntur initia, sic cetera consequuntur. 72) Stella Veneris Lucĭfer dicitur, quum antegreditur solem[53]), quum subsequitur,

---

38) niti ad mit einem Accus., *nach etwas streben.* — 39) der Ablat. wird mit *auf* übersetzt. — 40) St. est, *es ist ein Zeichen von D.* — 41) neve *und dass nicht.* — 42) alt. imp. habere *abwechselnd regieren.* — 43) *die Cumanische Sibylle,* eine Wahrsagerin, nach welcher jene Bücher die Sibyllinischen genannt wurden. — 44) hier unser *brav* von der Gesinnung. — 45) die Römer hatten heilige Hühner, deren Appetit ihnen eine gute Vorbedeutung zu sein schien. — 46) *zu versenken.* — 47) neq. en. quisq. *denn Niemand.* — 48) der Ablat. mit *an* zu übersetzen. — 49) *O über den h. T.* — 50) *in tiefer Nacht.* — 51) ein gewisser Manlius hatte in Etrurien ein Heer von Aufrührern gesammelt. — 52) ergänze *eam.* — 53) der Accus. hier mit dem Dat. zu übersetzen.

Hespĕrus. 73) Metellus Jugurtham, urbibus exutum et profŭgum, per Mauretaniam atque Gaetuliam[54]) persecutus est. 74) Vetustissimi Graeciae incolae glandibus vescebantur. 75) Cato major[55]) cum servis suis eodem cibo vescebatur idemque bibebat vinum. 76) Jesus Christus docuit: ne ulciscitor peccata peccatis, neve[56]) injurias injuriis. 77) Octavianus Caesaris necem graviter est ultus. 78) Multi beneficiis Dei perverse utuntur. 79) Scythae uxores liberosque secum[57]) vehebant in plaustris, quibus pro domibus utebantur. 80) Romani in prima cum Poenis pugna navali corvis ferreatis[58]) usi sunt. 81) Ambitiosi quidam homines plebis Romanae gratia ad suam potentiam atque illius servitutem abusi sunt. 82) Quum Pompejus ex Asia reverteretur, Caesar jam in Galliam profectus erat. 83) E Variano exercitu vix nuntius cladis Romam revertit. 84) Caesar, ex Hispania victor reversus, statim in Thessaliam adversus Pompejum properavit.

IV. Nach der vierten Conjugation.

1) Catonis de conjuratis Catilinae sententiae plerique assensi sunt. 2) Parum certus[59]) est homo, qui omnibus semper in omnibus rebus assentitur. 3) Ne unquam[60]) inepta spe tibi blandiaris. 4) Turpe adulatorum genus Neronis auribus perpetuo blanditum est. 5) Omnia prius experire verbis quam armis. 6) Postquam Catilina frustra consulatum petivit, extrema omnia experiri statuit. 7) Nunquam oracŭlum Delphicum tam celebre et tam clarum fuisset, nisi omnis aetas sortium earum veritatem esset experta. 8) Quod tellus largitur, idem postea reposcit. 9) Hortensio summam copiam facultatemque dicendi natura largita erat. 10) Qui mentiri solet, pejerare consuevit. 11) Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur. 12) Semirămis regīna sexum virīlem mentita est[61]). 13) Suo quisque metu pericula metitur. 14) Phoenīces antiquissimis jam temporibus multa maria permensi sunt. 15) Parvae causae magnas saepe res moliuntur. 16) Viriāthus, homo rusticus atque ignobilis, gravissimum Romanis bellum in Hispania

---

54) zwei Landschaften Nordafricas. — 55) major von Lebensaltern *der Aeltere.* — 56) neve *und nicht,* nach einem vorhergehenden *ne.* — 57) *mit sich.* — 58) die mit Eisen beschlagenen Fallbrücken an den Schiffen hatten den Namen *corvi.* — 59) par. cert. *unzuverlässig.* — 60) ne unq. *niemals.* — 61) sexum vir. mentiri *sich für einen Mann ausgeben.*

molitus est. 17) Caesar circa Dyrrhachium adventum Antonii cum reliquis copiis opperiebatur. 18) M. Cato non oppertus est laudem et consensum aliorum. 19) Alterius vitae initium quondam ordiemur. 20) Dicentes in foro et in senatu orationem plerumque orsi sunt a praefatione quadam, qua sibi audientium gratiam conciliarent. 21) Bellum civīle inter Caesărem et Pompējum in Italia ortum est. 22) Quam multi luce[62]) indigni sunt, et tamen dies orĭtur. 23) Maxime colimus hoc solum, in quo orti et procreati sumus. 24) Patres bona sua cum liberis partiuntur. 25) Antonius et Octavianus orbis terrarum imperium inter se partiti sunt. 26) Solo anserum clangore Galli prohibiti esse videntur, quomĭnus[63]) Capitolio[62]) potirentur. 27) Primum Athenienses, tum Lacedaemonii, deinde Thebani rerum[64]) in Graecia potiti sunt. 28) Praetores Romāni quotannis provincias sortiebantur. 29) Consules sortiri solebant, uter ad bellum proficisceretur. 30) Qui juvenes[65]) moriuntur, aeternam juventutem sortiti esse nobis videntur.

Der Fuchs und der Wolf.

Vulpes, irridebat lupum, in foveam delapsum, et circum foveae marginem laetabunda saltitabat, quam stolidum animal esset, vociferans, quia hominum fraudes non animadvertisset. Cum sic ergo lupum cavillaretur, in foveam ipsa delapsa et a lupo laniata est.

Die Wanderer und der Esel.

Duo viatores, quum in deserto loco oberrantem asinum forte conspicati essent, contenderunt inter se, uter eorum eum ut suum deduceret, quod uterque, se prius vidisse, affirmabat. Dum illi de ea re acriter rixantur: asinus aufugit, ac neuter eo potitus est.

Zusatz. Verba neutro-passiva und neutralia-passiva.

1) Semirămis regīna nec filio immatūro ausa erat tradere imperium, nec ipsa palam tractare. 2) Catilīna ausus est con-

---

62) der Abl. durch den Genit. zu übersetzen. — 63) quominus *dass*, nach den Verbis verhindern. — 64) res, in diesem Zusammenhange, *die Oberherrschaft*. — 65) *als Jünglinge*.

sulatum, quem frustra ambitione petiverat, per scelus[66]) sibi vindicare. 3) Darīus Codomānus prudenti Charidēmi, Graeci militis, consilio parum fisus est. 4) Caesar virtuti militum suorum in omnibus rebus confisus est. 5) Croesus rex opibus ac moenibus suis nimium confisus erat. 6) Caesar nuntio necis Pompeji allato minĭme gavīsus est. 7) Nero cantando et psallendo imprīmis est gavīsus. 8) Romani tributa, quae olim ceteris gentibus imponere soliti erant, postrēmo ipsi etiam barbăris solverunt. 9) Dionysius tyrannus dictitare solitus est: Quidquid ages, sapienter agas, et respice finem. 10) Servi, si quid commiserant, vapulabant. 11) Puer, qui nec dicto audiens[67]) nec crebris admonitionibus obsecutus fuerit, vapulabit. 12) Toti populi olim sub hasta[68]) venierunt. 13) Romani coenati graviores res omnīno non tractare solebant. 14) Juratis judices credunt. 15) Themistŏcles, tauri immolati sanguinem potus, mortuus concĭdit. 16) Milites Romani pransi et curati[69]) arma capiebant et signa ducis expectabant.

G. Conjugatio periphrastica.

I. Mit dem Participium Futuri Activi.

1) Ariovistus, Germanorum princeps, totam Galliam occupaturus erat. 2) Catilīna etiam servos ad bellum excitaturus fuit. 3) Scopas quidam Simonĭdi poëtae dimidium tantum ejus, quod pactus erat pro carmine, erat daturus. 4) Ne adversemur eis, qui nos veritatem docturi sunt. 5) Malus sane est medĭcus, qui morbi causam ignorans morbum ipsum est curaturus. 6) Nihil semper in suo statu est mansurum. 7) Galli perpetuo seditiones erant moturi. 8) Cum his versare, qui te meliorem facturi sint. 9) Is fidelissime dat consilium, qui id suadet, quod ipse, si in eodem loco[1]) erit, facturus erit. 10) Quidam non contemnendi oratores omnibus artubus tremere solebant, quum publice locuturi erant. 11) Alexander Magnus imperio[2]) totius orbis terrarum potiturus erat. 12) Jam facit

---

66) per scel. *auf unrechtmässige Art.* — 67) dicto aud. *gehorsam.* — 68) eine aufgesteckte Lanze war bei den Römern das Zeichen der Auction, und desselben bedienten sie sich auch beim Verkaufe der Sclaven. — 69) *nachdem sie sich gestärkt hatten.*

1) hier ganz wie unser *Stelle* gebraucht. — 2) der Ablat. wird durch den Genit. übersetzt.

injuriam, qui eam facturus est. 13) Scipio, quum aliquando Ennium poëtam visurus erat, ab eo non est admissus. 14) Alexander ad ipsum Gangem flumen erat penetraturus. 15) Vedius Pollio servos suos, si quid mali[3]) commiserant, objiciebat muraenis[4]), quas ipse postea esurus erat. 16) Qui non certaturus fuerit, nunquam triumphabit. 17) Qui nihil sunt acturi, certe male agere discent. 18) Plinius major, quum Vesuvii montis conflagrationem speculaturus esset, cinere et fumo oppressus est[5]). 19) Cyrus minor in pugna ad Cunaxa cum Artaxerxe fratre ipse manus conserturus fuit[6]). 20) Caesar bellum cum Parthis erat suscepturus, quum in curia a conjuratis confoditur. 21) Helvetii, quum novas sedes petituri essent, omnia oppida et vicos incenderant. 22) Romani etiam Germanis jugum dominationis impositurі fuerunt. 23) Oscitare solent, qui dormituri sunt. 24) Romani, si Saguntīnis obsessis auxilio[7]) venissent, totum in Hispaniam bellum aversuri fuissent[8]).

II. Mit dem Participium Futuri Passivi.

1) Uni non pugnandum est cum duobus. 2) Vigilandum nobis est semper, multae enim insidiae sunt[9]) bonis[10]). 3) Non tibi recusandum est, quod ultro donatur. 4) Audendum nobis est, fortes ipse Deus adjuvat. 5) Certandum nobis est, nemo enim triumphabit, qui non certaverit. 6) Etiam post malam messem agricŏlae erit serendum. 7) Tam diu tibi discendum erit, quemadmodum vivas, quamdiu vives. 8) Semper serviendum nobis est tempori.

1) Afflicto non est addenda afflictio. 2) Auctoritates majorum non sunt contemnendae. 3) Aliena sic nobis tractanda sunt, ut nostra non obliviscamur. 4) Stultum est timere, quae non sunt vitanda. 5) Cujus aures veritati clausae sunt, hujus salus[11]) desperanda est. 6) Non domo dominus, sed domino domus est honestanda. 7) Ocŭlis magis fides habenda est[12]) quam auribus. 8) Mediŏcris vitae condicio optima[13])

---

3) *etwas Schlechtes.* — 4) *die Muränen* waren eine bei den Alten sehr beliebte Art Seefische, welche sie sich in eigenen dazu eingerichteten Teichen hielten. — 5) opprimere kann hier mit *ersticken* übersetzt werden. — 6) Cyrus der Jüngere wollte nämlich seinen Bruder entthronen. — 7) *zu Hülfe.* — 8) hier, wie bisweilen, nimmt die Conjugatio periphr. die Bedeutung *können* an. — 9) hier *es giebt.* — 10) *für die G.* — 11) hujus salus zu übersetzen *an dessen Heil.* — 12) fidem habere *Glauben schenken.* — 13) *für die b.*

habenda est. 9) Tantum cibi ac potionis[14]) adhibendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur. 10) Sulla tum erat maxime timendus, quum erubuit. 11) Timidorum[15]) est, etiam ea, quae non sunt timenda, timere. 12) Non est lugenda mors, quam[16]) immortalitas consequetur. 13) Fortuna omnis superanda est ferendo. 14) Epicurēi[17]) res, quae essent expetendae, voluptate metiebantur. 15) Ex variis sumendum est optimum. 16) Saepius dolores minores tibi suscipiendi sunt, ut majores effugias.

Zusatz. Einige Beispiele mit dem Gerundium und Participium Futuri Passivi.

1) Non solum gratus esse debet, qui beneficium accipit, sed is etiam, cui potestas accipiendi fuit. 2) Diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. 3) Mithridātes totius Asiae occupandae flagrabat cupiditate. 4) Catilinam quum luxuria egestasque tum[18]) occasio ad nefarium opprimendae patriae consilium compulerunt. 5) Nulla aetas ad discendum sera est. 6) Non solum ad discendum propensi sumus verum etiam ad docendum. 7) Musĭcen natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri[19]) nobis dedisse. 8) Xerxes ingentem exercitum et classem comparaverat ad Graeciae libertatem opprimendam. 9) Saepius ignoscendo damus injuriae locum[20]). 10) Funem abrumpes nimium tendendo. 11) Cito scribendo non bene scribitur, sed bene scribendo cito. 12) Plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est.

H. Verba anomala.

1. Possum, *ich kann.*

1) Praeterita magis reprehendere possum quam corrigere. 2) Proximus esto bonis, si non potes optimus esse. 3) Frustra rogaris, si misereri non potes. 4) Ager sine cultūra, animus

---

14) *Speise und Trank.* — 15) *es ist die Sache der Furchtsamen.* — 16) der Accus. mit dem Dat. zu übersetzen. — 17) *die Epicureer*, eine philosophische Secte bei den Alten. — 18) quum — tum *sowohl — als besonders auch.* — 19) *zum Geschenk.* — 20) locum dare mit dem Dat. *zu etwas Gelegenheit geben.*

sine doctrīna fructuosus esse non potest. 5) Dici vix potest, quanta sit vis musĭcae. 6) Viri boni sumus, si prosumus, quibus possumus, nocemus nemini. 7) Quod donare possumus, gratis concedamus roganti. 8) Si fidem perdidistis, nil ultra perdere potestis. 9) Nunquam dominis duobus pariter servire potestis. 10) Quemadmodum persaepe gubernatores optimi vim tempestatis, sic sapientissimi viri fortunae impetum sustinere non possunt. 11) Imperator Galba Pisoni dixit: Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem. 12) Nihil est, quod Deus efficere non possit. 13) Nulla est tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. 14) Nihil est, quod nobis majori fructui gloriaeque esse[1]) possit, nec quidquam[2]) ex omnibus rebus humanis est praeclarius aut praestantius, quam de republica bene mereri. 15) Omnes adversariorum contentiones Caesaris potentiam imminuere non poterant. 16) Libertas populi Romani semel oppressa nunquam reviviscere poterat. 17) Docui, monui, bene praecepi semper, quae potui, omnia. 18) Ingens Persarum exercitus exiguo Macedŏnum numero resistere non potuit. 19) Equites Pompeji Caesarianarum cohortium impĕtum sustinere non potuerunt. 20) Qui potuerit laedere, prodesse aliquando poterit. 21) Fraus est accipere, quod non poteris reddere. 22) Quemcunque potero, peccare prohibebo. 23) Majus erat imperium Romanum, quam ut ullis externis viribus per multa secula[3]) opprimi posset. 24) Nunquam populo Romano servitutis jugum imponi potuisset, si postĕri majorum virtutes conservavissent. 25) Juvenīle vitium est, regere non posse impĕtum. 26) Tantum quisque in republica posse optat, quantum habet virium[4]).

2. Edo, *ich esse.*

1) Esse oportet, ut vivas[5]), non vivere, ut edas. 2) P. Claudius Pulcher, quum pulli[6]) non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. 3) Bibe, es, dormi, quantum et quamdiu valetudo postulabit. 4) Ptolemaeus rex quum in casa panem cibarium[7]) esset, nihil visum

---

1) hier *gereichen.* — 2) nec quidq. *und nichts.* — 3) *v. J. hindurch.* — 4) *an Kräften.* — 5) die zweite Pers. hier mit *man* zu übersetzen. — 6) *die heiligen Hühner.* — 7) pan. cib. *schwarzes Brot.*

est illo pane[8]) jucundius, neque enim unquam[9]) antea esuriens ederat.

3. Fero, *ich trage.*

1) Qui malis feret auxilium, posthac dolebit. 2) Copia affert ignaviam. 3) Labor affert requiem. 4) Vitam adolescentibus vis, senibus maturitas aufert. 5) Quid opem vestram offertis, qui tamen nunquam eam estis laturi? 6) Vos, judices, de hominum factis et fortunis sententiam fertis. 7) Ut agri non omnes frugifĕri sunt, qui coluntur, sic animi non omnes culti fructum ferunt. 8) Qui de hominum salute bene meruerunt, eos omnes jure in coelum ferunt[10]). 9) Nullos dolor erat, quem non Stoĭci[11]) patienter ferrent. 10) Quum Centauri omnes undĭque in Caenĕum, qui ferro vulnerari non poterat, saxa atque arborum stipĭtes conferrent, hic tandem extinctus est. 11) Nullum malum est, quod non humana natura patiendo ferat. 12) Invidiam ferre aut fortis aut felix potest. 13) Qui nescit ferre calumnias, nescit vivere. 14) Milo, quem vitŭlum[12]) assueverat ferre, taurum ferebat. 15) Principio rerum[13]) fines imperii tueri magis quam proferre[14]), mos erat. 16) Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate, et brevis reperietur. 17) Par pari referto[15]). 18) Dum differtur opportunitas, praetermittitur. 19) Occasio aegre offertur, facile amittitur. 20) Nemo erat, qui non eloquentia Demosthenis ferretur[16]). 21) Post proelium Cannense tantum studium erat Romae, ut omnes fere privatae opes[17]) in publicum aerarium deferrentur.

4. Volo, *ich will.* 5. Nolo, *ich will nicht.* 6. Malo, *ich will lieber.*

1) Malo optima facere quam promittere. 2) Quid faciam, aliorum exemplis discere malo quam meo periculo. 3) Si vis amari, amato. 4) Qui dare vult aliis, ne dixerit, Vultisne[18])? 5) Unusquisque aliena vitia reprehendere mavult quam sua corrigere. 6) Malŭmus miseri esse quam stulti et imprŏbi. 7) Si avaritiam tollere vultis, tollite luxuriam. 8) Qui stultis eruditi videri volunt, eruditis stulti videntur. 9) Id age, ut,

---

8) *als jenes Br.* — 9) neq. en. unq. *denn niemals.* — 10) in coel. ferre *in den Himmel erheben.* — 11) eine philosophische Secte, die behauptete, der Schmerz wäre kein Uebel. — 12) *als Kalb.* — 13) princ. rer. *anfangs, in den frühesten Zeiten.* — 14) hier *erweitern.* — 15) hier *vergelten.* — 16) ferri *hingerissen werden.* — 17) priv. opes *Privatschätze.* — 18) *ne* dient zur Frage.

qualis haberi velis, talis sis. 10) Quum ad finem perveneris, nolis reverti. 11) Tu quod sis, esse velis, nihilque malis. 12) Gothi Amalasunthae regīnae parere nolebant. 13) Assyrii regi, qui femina malebat esse quam vir, diutius parere noluerunt. 14) Imperator Hadrianus finem imperii esse[19]) voluit Euphrātem. 15) Quis potest illos computare, quos bello civīli in urbe Romana, quisquis voluit, occidit? 16) Hannibal, quum victoria[20]) posset uti, frui maluit. 17) Imperator Galba Pisoni, quum eum adoptaturus esset, dixit: Semper cogita, quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris. 18) Erunt omnia facilia, si voles. 19) Nemo alteri concedet imperium volens. 20) Noli affectare, quod tibi non est datum. 21) Noli referre maledicta litis praeteritae. 22) Nolite contemnere exigui corporis vires. 23) Nolite contendere contra hominem justum, nam Deus iras injustas[21]) semper ulciscetur. 24) Idem velle et idem nolle, ea demum firma amicitia est. 25) Anaxagŏram Clazomenium Lampsăci[22]) moribundum quum amici interrogarent, velletne[23]) in patriam afferri, respondit: Undĭque ad infĕros[24]) eadem est via. 26) Sic demus beneficium, quomŏdo vellemus accipere. 27) Alexander moribundus quaerentibus, quem imperii herēdem facere vellet, respondit: Dignissimum.

7. Eo, *ich gehe.*

1) Meo vitio pereo. 2) Vir fortis omni periculo intrepĭdus it obviam. 3) Deliberando saepe periit occasio. 4) Vox audita perit, litera scripta manet. 5) Omnia, quae orta sunt, intereunt. 6) Pereunt interdum innocentes, saepius tamen nocentes. 7) Paterfamilias, ubi ad villam venit, fundum eodem die, si potest, circumeat; sin minus[25]) eo die, tamen postridie. 8) Ova tantum emolliri possunt, ut per anulos transeant. 9) Abeunt eo omnia, unde orta sunt. 10) Fuit semper boni civis[26]), ut potius cum pluribus societatem defendendae patriae[27]) iniret, quam cum paucis opprimendae[28]). 11) Lycurgus Lacedaemonios jurejurando adstrinxerat, ut nihil de legibus suis mutarent, donec ipse rediret; nec rediit unquam[29]). 12) Cede repugnanti,

---

19) finem esse *dass die Grenze sei.* — 20) der Ablat. mit dem Genit. zu übersetzen. — 21) im Singul. zu übersetzen. — 22) eine Stadt in Klein-Asien. — 23) ne mit *ob* zu übersetzen. — 24) ad inferos *nach der Unterwelt.* — 25) sin minus *wenn aber nicht.* — 26) *die Pflicht eines g. B.* — 27) defend. patr. *zur Vertheidigung des Vaterlandes.* — 28) opprim. *zur Unterdrückung desselben.* — 29) nec. unq. *und niemals.*

cedendo victor abibis. 13) Quocunque[30]) ibis, umbra te persequetur. 14) Ad solitum opus assiduus quotidie ibit rusticus. 15) I, quo tua te virtus vocat. 16) Pericula cautus adito[31]). 17) Apelles perfecta opera proponebat in pergŭla transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens vitia, quae notarentur, auscultabat. 18) Ineuntis aetatis inscitia senum constituenda et regenda est prudentia. 19) Pro patriae salute omnia pericula sunt subeunda[32]). 20) In narratione omnia, quae praeteriri possunt, praetereunda sunt. 21) Quod male quaesitum est, etiam[33]) pejus perire solet. 22) Animus interire non potest. 23) Pythagŏras philosŏphus et Aegyptum lustravit et Persarum magos[34]) adiit. 24) Sub triumviratu[35]) rediit Sullana proscriptio. 25) Caesar omnium gentium hominumque, quos adierat, victor[36]) extitit.

8. Queo, *ich kann.* 9. Nequĕo, *ich kann nicht.*

1) Qui ipse sibi sapiens[37]) prodesse nequit, nequidquam sapit. 2) Tristes sine lacrĭmis saepius non queunt ad amicos scribere. 3) Solem adversum intueri nequitis. 4) Octavianus proelio apud Philippos[38]) adesse nequibat, quia aeger erat. 5) Raro fit, ut hominem reperire queamus, qui vita contentus cedat. 6) Nulli imponas, quod ipse ferre nequeas. 7) Sunt certi fines, ultra citraque quos[39]) virtus consistere nequit. 8) Cimbri et Teutŏni repulsi[40]) a Romanis, quod nequierant precibus, armis petere constituunt.

10. Fio, *ich werde* oder *werde gemacht.*

1) Onus, quod bene fertur, leve fit. 2) Duobus modis, aut vi aut fraude, fit injuria. 3) Lis parva minimis verbis interdum fit maxima. 4) Deteriores omnes fimus licentia. 5) Quaecunque[41]) fiunt, ex[42]) Dei fiunt consilio. 6) Tam multa Romae gerebantur, ut vix ea, quae fiebant in provinciis, in urbe audirentur. 7) Qui noxium adjuvabit, fiet socius culpae. 8) Adde parvum parvo, parvo superadde pauxillum: fiet et[43])

---

30) *wohin auch immer.* — 31) adire periculum *sich einer Gefahr unterziehen.* — 32) subire periculum *eine Gefahr übernehmen.* — 33) etiam hier *noch.* — 34) *die Magier* waren die Priester und Gelehrten bei den Persern. — 35) *das Triumvirat,* die Verbindung des Octavianus, Antonius und Lepidus. — 36) *als Sieger.* — 37) *als Weiser.* — 38) diese Schlacht lieferten er und Antonius dem Brutus und Cassius, den beiden Häuptern der Verschworenen gegen Caesar. — 39) ultra citraque quos *über welche hinaus und diesseits welcher.* — 40) hier *abgewiesen.* — 41) *Alles was.* — 42) hier *gemäss.* — 43) hier *auch.*

hoc magnum; sic crescit copia rerum. 9) Quod factum est, infectum fieri nequit. 10) Quidquid aliquando fieri potuit, etiam nunc potest. 11) Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito. 12) Nolīte id velle, quod fieri nequit. 13) Nihil est manu factum, quin[44]) aliquando conficiat vetustas.

I. Verba defectiva.

1. Ajo, *ich sage.* Inquam, *sag' ich.*

1) Pisces, ut ajunt, ova, quum genuerunt, relinquunt. 2) Cato mirari se[1]) ajebat, quod[2]) non rideret haruspex[3]), haruspicem quum vidisset. 3) Ne cura, quid stultus ajat aut neget[4]). 4) Quidam lunam[5]) ajunt terram multarum urbium et montium esse. 5) Virtus, inquam, et conciliat amicitiam et conservat. 6) Hannibal, quum projectum fratris ad sua castra caput vidisset: Agnosco, inquit, adversam fortunam Carthaginis. 7) Pittăcus[6]), quum ei Mitylenaei multa milia jugerum agri donarent: Nolite, inquit, id mihi dare, quod multi concupiscant. 8) Quum Bias[6]) esset admonitus, ut quaedam in fuga de suis[7]) secum portaret: Ego vero, inquit, facio; nam omnia mea mecum porto. 9) Luxuria, inquiet quispiam, et avaritia sunt, quae omnes ad maleficia impellant.

2. Coepi, *ich fange an.* Memini, *ich erinnere mich.* Novi, *ich weiss.* Odi, *ich hasse.*

1) Etiam, qui faciunt injuriam, eam oderunt. 2) Odi malos aeque atque angues. 3) Omnes oderunt immemŏrem beneficii. 4) Mores amici noveris, non oderis. 5) Verus amor nullum novit modum. 6) Poenae, quam dederunt[8]), non sceleris plerique meminerunt. 7) Qui magno imperio praediti sunt, eorum facta cuncti mortales noverunt. 8) Quae nobis pueris[9]) acciderunt, posthac optime meminimus. 9) Quod merĭto patieris, patienter ferre memento. 10) Multi te oderint, si te ipse amabis. 11) Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

---

44) *dass nicht.*

1) mirari se *er wundere sich.* — 2) quod, nach den Ausdrücken der Verwunderung, mit *dass* zu übersetzen. — 3) eine Art Priester, die aus den Eingeweiden der Opferthiere weissagte. — 4) quid — neget *ob der D. ja oder nein sagt.* — 5) lunam esse *der Mond sei.* — 6) er war Einer der sieben Weisen Griechenlands. — 7) *von dem Seinigen.* — 8) poenam dare *Strafe leiden.* — 9) *als Knaben.*

12) Si amico tuo non tantum credas, quantum tibi, non satis nosti vim verae amicitiae. 13) Quamquam Catilina contra patriam agere coeperat, tamen consulatum petere non erubuit. 14) Germani Quintilii Vari libidinem ac superbiam haud secus quam saevitiam odisse coeperant.

K. Praepositionen.

1. *Mit dem Accusativ.*

1) Sera nunquam est via ad bonos mores. 2) Reverentia Dei[1]) ad omnes res prodest. 3) Ad lacum Trasimēnnum[2]) ingenti clade Romani ab Hannibale victi sunt. 4) Plus apud nos vera ratio valeat quam vulgi opinio. 5) Quum Caesar Rubiconem[3]) amnem transisset: jam non[4]) penes eum erat[5]) bellum patriae non inferre. 6) Q. Hortensii, clarissimi oratoris, filia apud[6]) Triumvĭros insignem orationem habuit. 7) Ante obĭtum nemo felix erit. 8) Ante Carthaginis excidium populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant. 9) Ante Dei vultum nihil unquam restat inultum. 10) Adversus amicum nolito contendere verbis acerbis. 11) Adversus Hannibalem Fabius Romae consul[7]) creatus est. 12) Gallia, quae cis Alpes[8]) sita erat, Cisalpīna vocabatur. 13) Universa Asia, quae citra Taurum montem erat, Antiŏcho regi a Romanis erepta est. 14) Hominum, quos Catilina comparaverat, circiter quarta pars erat armis instructa. 15) Circiter vigesimum ante Christum natum[9]) seculum Semirămis vixisse dicitur[10]). 16) Nullus murus contra fortunam inexpugnabilis est. 17) Contra metum et vim suis se quaeque armis defendunt animalia. 18) Magna erat olim Romanorum erga patriam caritas. 19) Extra telorum jactum versaris. 20) Homo mentis impos et quasi extra corpus suum[11]) est, quum irascitur. 21) Infra lunam omnia sunt cadūca. 22) Infra terram mortuorum domicilia esse olim credebantur[12]). 23) Amicitia nisi

---

1) der Genit. mit *vor* zu übersetzen. — 2) See in Hetrurien. — 3) dieser machte die Grenze zwischen Gallia Cisalpina und Italien. — 4) jam non *nicht mehr*. — 5) est penes me *es steht bei mir*. — 6) *vor*. — 7) *zum C.* — 8) von Rom aus gerechnet. — 9) a. Chr. n. *vor Christi Geburt*. — 10) *soll*. — 11) extr. corp. s. wie unser *ausser sich*. — 12) domic. esse credeb. *man glaubte, dass die Wohnungen wären*.

inter bonos esse non[13]) potest. 24) Aut imperii aut divitiarum causa[14]) bella fere omnia inter mortales orta sunt. 25) M. Crassus, ille ditissimus Romanorum, inter socios Catilinae nominatus est. 26) Dejotărus rex a Cicerone intra domesticos pariĕtes[15]) defensus est. 27) Castra Catilinae jam in faucibus Hetruriae collocata erant, ipse vero etiamtum intra muros urbis morabatur. 28) Juxta metum etiam spes est posita. 29) Cicero proconsul castra in radicibus Amāni montis habuit juxta aras Alexandri magni. 30) Ob immodĭcam divitiarum cupiditatem Crassus Parthis bellum intulit. 31) Quam ob causam Darēus, Persarum rex, Scythis bellum intulerit, ipse fortasse nescivit. 32) Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat. 33) Multos per annos summa potestas Romanorum penes tribunos militares[16]) erat. 34) Longum iter est per praecepta, breve et effĭcax per exempla. 35) Quod per alios facimus, id ipsi fecisse putamur[17]). 36) Post cruentam Sullae victoriam[18]) intestīni motus atque civium seditiones paulisper cessaverunt. 37) Quidam, proh dolor[19])! sic disputant: Quaerenda pecunia primum est, virtus post nummos. 38) Non queo, quod pone me est, servare. 39) Ti. Sempronius aedes P. Africani pone veteres tabernas[20]) ad Vortumni[21]) signum emit. 40) Arĕtho, navigabilis amnis, praeter ipsa Ambraciae moenia fluebat. 41) Britanniam olim praeter mercatores non temĕre adiit quisquam, neque his ipsis quidquam praeter oram maritĭmam notum erat. 42) Quidquid oritur, etiamsi praeter[22]) consuetudinem extiterit, praeter[22]) naturam tamen non potest existere. 43) Massilia prope ostia Rhodăni amnis condita est. 44) Quum plebs prope rĭpam Aniēnis consedisset, cumque montem, qui Sacer appellatus est, occupavisset: M. Valerius Dictator dicendo sedavit discordiam. 45) Vulcanus tenuit insulas propter Siciliam, quae Vulcaniae nominabantur. 46) Mors propter incertos casus quotidie immĭnet. 47) Amicitia est propter se expetenda. 48) In bello Samnitico primo legiones secundum[23]) consulis donationem

---

13) nisi — non *nur*. — 14) causa, im Ablat. einem Genitivo nachgestellt, ist mit *wegen* zu übersetzen. — 15) domest. par. *Privathaus*. — 16) trib. mil. *Kriegstribun*, deren jährlich drei oder auch mehr mit derselben Macht, wie sonst die Consuln, erwählt wurden. — 17) id putamur *davon glaubt man, dass wir* etc. — 18) den Sieg, den er zuletzt über die Partei des Marius davontrug. — 19) pr. d. *leider*. — 20) vet. tab. *die alten Buden*, ein Ort in Rom. — 21) eine Gottheit der Kaufmannschaft. — 22) hier *gegen*. — 23) *gleich nach*.

gramineam coronam obsidionalem[24]) Decio imposuerunt. 49) Secundum Deum homines hominibus maxime utiles esse possunt. 50) Legi divīnae et humanae omnes parebunt, qui secundum naturam vivere volent. 51) Supra lunam sunt aeterna omnia. 52) Ratio recta constansque supra hominem putanda est deoque tribuenda. 53) Tusci[25]) prius cis Apennīnum ad inferum mare[26]), postea trans Apennīnum colonias miserunt. 54) Coelum non animum mutant, qui trans mare currunt. 55) Rhodănus primo occidentem deinde meridiem versus fluit. 56) Galli, quum legatos Romanos in acie hostium adversus se pugnantes conspexissent, statim Romam versus contenderunt. 57) Augustus Germanos trans Albim[27]) fluvium submovit, qui longe ultra Rhenum est. 58) Julius Caesar laboris ultra fidem patiens erat.

2) *Mit dem Ablativ.*

1) Prima adolescentis commendatio proficiscitur a modestia. 2) Sidera ab ortu ad occasum commeant. 3) Plerique Belgae orti erant a Germanis. 4) A prima aetate me et omnis ars et maxime philosophia delectavit. 5) Rhenus agrum Helvetium a Germanis divĭdit. 6) Isthmus[28]) duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, arctis faucibus dirĭmit. 7) A Deo omnia facta et constituta sunt. 8) Absque notitia Dei quae potest esse solida felicitas? 9) Domitius, classis praefectus, clam suis salutem fuga petivit. 10) Cantabit vacuus coram latrone viator. 11) Parĭter cum vita sensus amittitur. 12) Damnum appellandum est cum mala fama lucrum. 13) Manlius, qui Capitolium a[29]) Gallis servaverat, postea de rupe Tarpēja dejectus est. 14) Dictator C. Marcius Rutĭlus primus de plebe dictus est. 15) De Athenarum urbis possessione propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuisse[30]) proditur. 16) Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, cum Pyrrho et Hannibale. 17) Aliud malum ex alio nascitur. 18) Circe[31]) erat ex Perseĭde, Oceăni filia, nata. 19) E vita discedimus tamquam ex hospitio non tamquam ex domo. 20) Ante pugnam ad Mundam

---

24) gr. cor. obs. *eine Belagerungskrone von Gras*, ein militärisches Ehrenzeichen bei den Römern. — 25) eins der ältesten Völker Italiens. — 26) inf. mare *das untere Meer*, zwischen Italien und den Inseln Sicilien, Sardinien und Corsica. — 27) jetzt *Elbe*. — 28) die Landenge, welche Hellas und den Peloponnesus, die beiden Haupttheile Griechenlands, verbindet. — 29) hier *vor*. — 30) *dass gewesen sei*. — 31) eine wegen ihrer Zauberkünste bekannte Halbgöttin.

moestus erat Caesar non ex more, eadem fortasse timens, quae Pompejo acciderant. 21) Hercŭles Tibĕrim fluvium, armentum prae se agens, nando trajecit. 22) Cato major in senectute prae ceteris floruit. 23) Gallis prae magnitudine corporum suorum brevitas Romanorum contemptui[32]) fuit. 24) Augustus bifariam laudatus est[33]), pro aede divi[34]) Julii a Tiberio, et pro rostris veteribus a Druso, Tiberii filio. 25) Convenit[35]) dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. 26) Alexandrum pro[36]) animi magnitudine ne laudare quidem quisquam satis commŏde potest. 27) Nemo sine virtute beatus esse potest. 28) Numantia urbs sine muro, sine turribus, a quattuor milibus Celtiberorum defensa, quadraginta milium exercitum per annos quattuordecim sola sustinuit. 29) Alexander omnia Oceăno tenus vicit. 30) Antiŏchus Magnus Tauro tenus regnare jussus est.

3) *Mit dem Accusativ und Ablativ.*

1) Incĭdit in Scyllam[37]), qui vult vitare Charybdim[37]). 2) P. Scipio bellum Punicum secundum in Africam transtŭlit. 3) In caput auctoris facinus plerumque redundat[38]). 4) Germanicae gentes ante proelium sarcĭnas in unum locum conferre solebant. 5) Avārus in nullum bonus, in se pessimus est. 6) T. Manlius, perindulgens in patrem, idem acerbe sevērus[39]) fuit in filium. 7) In re adversa[40]) crudelis est objurgatio. 8) In animis hominum multae latĕbrae sunt. 9) Numantia in tumŭlo modĭce edito apud flumen Durium[41]) sita erat. 10) In bono cive praecipue laudatur amor patriae. 11) Praecipuum indicium ingenii in parvis[42]) est memoria. 12) Rabiosi canes caudam sub alvum reflectunt. 13) P. Scipio totam Hispaniam, a Pyrenaeis montibus ad Herculis usque columnas[43]) et Oceănum, sub ditionem populi Romani redegit. 14) Comitia centuriata[44]), quibus consules creabantur, sub exitum Quintīlis,

---

32) cont. f. *diente zur Verachtung.* — 33) Aug. bif. laud. est *dem Augustus wurde zweimal eine Leichenrede gehalten.* — 34) diesen Beinamen erhielt Julius Caesar, weil er nach seinem Tode unter die Götter versetzt wurde. — 35) *es ziemt sich.* — 36) hier *in Vergleich mit.* — 37) zwei den Schiffenden gefährliche Stellen in der Meerenge von Messina. — 38) hier *fällt zurück.* — 39) ac. sev. *unerbittlich streng.* — 40) res adv. *das Unglück.* — 41) jetzt *Duero.* — 42) parvi hier *Kinder.* — 43) Herculis columnae *die Säulen des Hercules* liegen an der Meerenge von Gibraltar. — 44) *die Centuriatcomitien,* Wahlversammlungen, in welchen das gesammte Römische Volk nach Centurien stimmte.

qui mensis postea Julius appellatus est, habebantur. 15) Saepe etiam sub palliŏlo sordido latet sapientia. 16) Pompejus in Aegypto Septimii desertoris gladio trucidatus sub oculis uxoris et liberorum mortuus est. 17) Super tabernaculum Darīi imago Solis[45]) fulgebat. 18) In Bruttiis[46]) Punicum exercitum super[47]) morbum etiam fames affecit. 19) Imperator Vespasianus super coenam multa joco tractabat. 20) Super moribus Christianorum Plinius ad Imperatorem Trajanum epistŏlam scripsit. 21) Alphēus, Elĭdis[48]) amnis, occultas vias subter mare egisse dicitur. 22) Virtus omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet.

L. Accusativus cum Infinitivo.

1) Suam quisque calamitatem miserrimam esse putat. 2) Cicero arbitrabatur, sapientes eosdem[1]) bonos oratores esse. 3) Opto, in omnibus hominibus quam plurimum eruditionis[2]) esse. 4) Duo equites Romani promiserant, se Ciceronem ante lucem[3]) in lectulo interfecturos esse. 5) Caesari nuntiatum est, Helvetios in animo habere, iter per Sequănos et Aeduos[4]) facere. 6) Mendācem memŏrem esse oportet. 7) Sentimus, calere ignem, nivem esse albam, dulce mel. 8) Ex inimīco cogĭta posse fieri amicum. 9) Non utilem arbĭtror esse nobis futurarum rerum scientiam. 10) Cyrus, quum admŏdum senex esset, negavit, se unquam sensisse, senectutem suam imbecilliorem factam esse, quam adolescentia fuisset. 11) Solon, quum interrogatus esset, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum esse putasse. 12) Quid atrocius est illo Mithridatico edicto[5]), quo omnes, qui in Asia essent, cives Romanos interfici jussit. 13) Viros fortes et magnanimos eosdem[6]) bonos et simplices, veritatis amicos minimeque fallaces esse, volumus. 14) Appius Claudius crebro dicere solitus est, negotium populo Romano melius quam otium committi. 15) Socratem, constat, aetate

---

45) die Perser verehrten die Sonne als Bild des guten Gottes. — 46) Bruttien hiess die südlichste Provinz Italiens. — 47) hier *ausser*. — 48) Elis war eine Landschaft des Peloponnesus.

1) hier mit *auch* zu übersetzen. — 2) *so viel als möglich B.* — 3) ante luc. *vor Tagesanbruch.* — 4) die Lateiner pflegen öfters bei Ortsbestimmungen den Namen des Volkes zu setzen, wo wir den des Landes brauchen. — 5) der Abl. mit *als* zu übersetzen. — 6) *zugleich.*

provectum[7]), fides tractare coepisse, satius judicantem, ejus usum sero quam nunquam percipere. 16) Meminerimus, etiam adversus infimos justitiam esse servandam.

M. Ablativi absoluti.

1) Accepto damno stultus sapit. 2) Ne alienos agros irrĭga tuis sitientibus[1]). 3) Dissedisse quondam inter se humani artus dicuntur[2]), quod, omnibus opere suo fungentibus, solus venter immūnis ageret. 4) Leges a Graecia Romam allatas decem principes electi, jubente populo, conscripserunt. 5) Tanta erat Quintilii Vari fiducia, ut ne praedicta quidem et prodita per Segestem, unum ex principibus Germanis, conjuratione, commoveretur. 6) Nato filio pater quam optimam de eo spem capiat; hoc[3]) diligentior a principiis[4]) fiet. 7) Phalanx Germanorum facta est, toto agmine in unum coacto et clipeis supra capita contextis. 8) Lepĭdus quum, ceteris in campo se exercentibus, in herba ipse recubuisset, dixit: Vellem, hoc esset laborare. 9) Defuncto Trajano, Aelius Hadrianus creatus est princeps. 10) Clauso per insidias intra praeruptos saltus exercitu Romano, dux Samnitium Pontius Herennium patrem consuluit: et ille sapienter respondit: mitteret omnes vel occideret. 11) Caritate benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata jucunditas. 12) Quum in pugna cum Belgis milites Romani jam fugam dare coepissent: Caesar, rapto fugientis e manu scuto, in primam volĭtans aciem manu[5]) proelium restituit. 13) Natura duce errari nullo pacto[6]) potest. 14) Bellum Gallicum C. Caesare imperatore gestum est. 15) Pausania duce Mardonius cum ducentis milibus peditum et viginti milibus equitum ad Plataea, fusus et fugatus est. 16) Serēno quoque coelo aliquando tonat. 17) Romani, Hannibăle vivo, nunquam se sine insidiis futuros existimabant. 18) Iis invītis, a quibus Pharus[7]) tenetur, non possunt naves intrare in portum Alexandrīae.

---

7) *vorgeschritten.*

1) hier *Mangel an Wasser haben.* — 2) *sollen.* — 3) *desto.* — 4) a princ. *von Anfang an.* — 5) manu *durch seine persönliche Tapferkeit.* — 6) n. p. *auf keine Weise.* — 7) eine kleine Insel vor Alexandria.

N. Versus memoriales.

1) Est ăcer in silvis, equus ācer Olympia[1]) vincit.
2) *Cedo* facit *cessi, cecĭdi cado, caedo cecīdi.*
3) Si bonus esse *cŏmes* vis, mores indue *cōmes.*
4) Bellandi *cupĭdo* damno[2]) est sua saepe *cupīdo.*
5) Oblītus *decŏris* viŏlat praecepta *decōris.*
6) Vin'[3]) tibi *dīcamus,* cui carmina nostra *dĭcemus?*
7) *Edŭcat* hic catŭlos, ut mox *edūcat* in apros.
8) Solvere *diffĭdit* nodum, qui *diffĭdit* ense.
9) Ni sit nota *fĭdes,* ignoto non bene *fīdes.*
10) Difficilis *lăbor* est, cujus sub pondere *lābor.*
11) In silvis *lepŏres,* in verbis quaere *lepōres.*
12) In rate triste *mălum,* quum fractus turbine *mā*
13) *Mānibus* ille patris *mănibus* comportat arēnam.
14) Morio *mōratur,* quocunque sub axe[4]) *mŏratur.*
15) *Nītĕre* cum studio, si vis aliquando *nĭtēre.*
16) Haec *nŏta* Grammatici non est mihi nec tibi *nōta.*
17) Nil ego scribo *nŏvi*[5]), quia *nōvi* nil nisi nota.
18) *Occīdit* latro, verum sol *occĭdit* almus.
19) *Os ōris* loquitur, sed *ŏs ossis* roditur *ōre.*
20) Gaudet uterque *pă̄rens,* dum filius est bene *pārens.*
21) *Pendĕre* vult justus, sed fur *pendēre* recūsat.
22) Ludo *pĭla, pīlum* petit hostes, *pīla* columna est.
23) Sunt cives urbis *pŏpulus,* sed *pōpulus* arbor.
24) Si vitare *pŏtes,* ne plurima pocula *pōtes.*
25) Pluribus ille *rĕfert,* quae non cognoscere *rēfert.*
26) Spondet *vas vădis,* at *vas vāsis* continet escam.
27) Si transire *vĕlis* maris undas, utere *vēlis.*
28) Merx nummis *vēnit, vĕnit* huc aliunde profectus.
29) Si qua *sēde sĕdes,* atque est tibi commŏda *sēdes*:
Illa *sēde sĕde,* si nova tuta minus.
30) Fīde sed ante vĭde, qui fīdit nec bene vīdit,
Fallitur, ergo vĭde, ne capiare[6]) fĭde.

---

1) *in den Olympischen Spielen.* — 2) *zum Schaden.* — 3) *vin',* zusammengezogen aus *visne, willst du?* — 4) hier *Himmelsgegend.* — 5) *Neues.* — 6) Nebenform für *capiaris.*

Anhang.

I. Kleine Erzählungen.

1. De Horatio Coclĭte.

Porsēna, rex Etruscorum, Tarquinios[1]) a populo Romano expulsos restituere tentabat. Qui quum[2]) primo impĕtu Janicŭlum cepisset: Horatius Cocles stans pro ponte sublicio[3]), qui Tibĕris ripas conjungit, aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur. Quo facto[4]) statim in Tibĕrim desiluit et armatus ad suos transnavit.

2. De Mucio Scaevŏla[5]).

Quum Porsēna rex urbem obsideret: Mucius Cordus, nobilis Romanus, in castra ejus venit, ibique purpuratum pro rege, specie ejus deceptus, occidit. Prehensus et ad regem tractus dexteram arae imposuit, hoc supplicium ab ea exĭgens[6]), quod in caede errasset. Unde quum a circumstantibus retraheretur, quasi beneficium refĕrens, ait, *Trecentos adversus regem similes conjurasse.* Qua re ille territus pacem, acceptis obsidibus, composuit.

3. De Fabiis trecentis sex.

Quum adversus Vejentes bellum gererent Romani: hoc bellum familia Fabiorum sibi deposcit, et profecti sunt trecenti sex, duce Fabio consule[7]). Quum saepe victores extitissent:

---

1) Name der letzten Römischen Königsfamilie. — 2) *Als dieser; quum* pflegt dem Pron. rel. nachgestellt zu werden bei Satzverbindungen, wo wir *als* vor das Demonstrativum setzen. — 3) p. s. *die Pfahlbrücke.* — 4) *Worauf.* — 5) *Linkhand;* diesen Beinamen erhielt er, als er die rechte Hand verloren hatte. — 6) suppl. exigere ab aliquo *Strafe an Jemand nehmen.* — 7) *Unter Anführung des Consul F.*

apud Cremĕram fluvium castra posuerunt. Vejentes deinde, ad fraudem conversi, pecora in conspectum eorum egerunt; ad quae rapienda[8]) progressi et in insidias lapsi ad unum[9]) omnes perierunt. Unus ex ea gente, propter impuberem aetatem domi relictus, genus propagavit.

4. De Menenio Agrippa.

Quum populus a patribus in montem sacrum secessisset, quod tribūtum et militiam non toleraret[10]), nec revocari posset: Menenius Agrippa apud eum sic disseruit. *Olim*, inquit, *humani artus, quum ventrem otiosum cernerent, ab eo dissidebant et sua illi ministeria negabant. Quo quum*[11]) *et ipsi deficerent: intellexerunt, ventrem acceptos cibos per omnia membra distribuere, et cum eo in gratiam redierunt*[12]). *Sic senatus et populus, quasi unum corpus, discordia pereunt, concordia valent.* Hac fabula motus populus reversus est.

5. De bello Romanorum cum Gallis.

Galli Senŏnes[13]) quum Clusium, Etruriae oppidum, obsiderent: missi sunt Roma tres legati, qui Gallos monerent, ut ab obsidione desisterent. Ex his unus contra jus gentium in aciem processit et ducem Senŏnum interfecit. Quo exacerbati Galli, quum deditionem legatorum frustra postulassent, Romam petierunt, et exercitum Romanum apud Alliam fluvium profligarunt. Victores urbem intraverunt, ubi nobilissimos senum, in curulibus sellis[14]) sedentes et magistratuum insignibus indutos, primo ut Deos venerati sunt, deinde, ut homines eos esse intellexerunt, interfecerunt. Reliqua juventus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obsessa Camilli virtute liberata est, qui absens dictator dictus[15]), collectis reliquis civibus, Gallos improvīsus oppressit.

6. De bello Pyrrhi cum Romanis.

Pyrrhus, rex Epirōtarum, a Tarentīnis auxilio[16]) vocatus, Romanis bellum intulit. Exercitum Laevīni Consulis apud

---

8) ad q. rap. *um diese zu rauben.* — 9) wir sagen: *bis auf den letzten Mann.* — 10) n. tol. *nicht ertr. könnte.* — 11) *Als sie dadurch.* — 12) in gr. redire cum aliquo *sich mit Einem aussöhnen.* — 13) die Senonischen Gallier wohnten in Ober-Italien. — 14) cur. sellae, *die curulischen Stühle* gehörten zu den Ehrenzeichen der höchsten Römischen Obrigkeiten. -- 15) d. d. *zum D. ernannt.* — 16) *zu Hülfe.*

Heraclēam novus tum et insolitus elephantorum adspectus turbavit. Quumque Romanos adversis vulneribus[17]) occisos videret rex: *Ego*, inquit, *cum talibus militibus brevi*[18]) *orbem terrarum subigerem.* Amicis gratulantibus *Quid mihi cum*[19]) *tali victoria*, inquit, *qua exercitus robur amittam?* Deinde ad Ascŭlum iterum victor, tamen maximum copiarum suarum detrimentum sentiens, Tarentum rediit. Hinc in Siciliam transgressus quum multa frustra molitus esset: in Italiam ad debilitatas opes reparandas[20]) reversus est. Sed victus a M'. Curio ad Beneventum, praesidio in arce Tarentina relicto, Epīrum repetere coactus est, ubi, dum Argos oppugnat, tegŭlae ictu occiditur.

7. Quomŏdo Pisistrătus Athēnis rerum[21]) sit potitus.

Pisistrătus dominationem per dolum occupavit. Voluntariis enim verberibus domi affectus laceratoque corpore aliquando in publicum progreditur, advocataque contione vulnera populo ostendit; de crudelitate principum, a quibus haec se passum esse simulabat, querens. Adduntur vocibus lacrĭmae, et invidiosa oratione multitudo credŭla accenditur; amore enim plebis se invīsum[22]) senatui, ille affirmat. His artificiis ad custodiam corporis sui satellitum auxilium accepit, per quos occupata tyrannide per annos XXXIII regnavit.

8. De Sardanapallo.

Postrēmus apud Assyrios regnavit Sardanapallus. Praefectus ipsius, nomine Arbăces, quum aegre impetrasset, ut admitteretur ad hunc videndum (quod nulli antea permissum fuerat): invenit eum inter feminarum greges purpŭram colo nentem et muliebri habitu pensa inter virgines partientem. Quibus visis indignabatur, tali feminae tot viros subjectos esse, tractantiquae lanam ferrum et arma gerentes parere. Progressus ad socios, quid viderit, refert, negatque *se ei parere posse, qui se feminam malit esse*[23]) *quam virum.* Fit igitur conjuratio; bellum Sardanapallo infertur. Quo audito, ille primo latĕbras circumspicit, deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus in regiam se recipit,

---

17) adv. vuln. *mit Wunden auf der Brust.* — 18) ergänze *tempore.* — 19) *Was hilft mir.* — 20) ad rep. *zur Wiederherstellung.* — 21) *der Oberherrschaft.* — 22) ergänze *esse.* — 23) qui se m. esse *der lieber sein wollte.*

et, extructo incensoque rogo, se et divitias incendio combussit; hoc solo imitatus virum.

9. De P. Crassi animi magnitudine.

P. Crassus cum Aristonīco bellum in Asia gerens a Thracibus, quorum is magnum numerum in praesidio habebat, inter Elēam et Smyrnam exceptus est. At, ne in ditionem ejus perveniret, dedĕcus[24]) accersita ratione mortis[25]) effugit. Virgam enim, qua[26]) ad regendum equum usus fuerat, in unius barbări oculum direxit; qui vi doloris accensus latus Crassi sica confodit, dumque se ulciscitur, Romanum imperatorem majestatis amissae turpitudine liberavit.

10. De Metelli Scipionis elato animo.

Q. Metellus Scipio, partibus Cn. Pompeji, generi sui, infeliciter in Africa defensis, classe[28]) Hispaniam petiit. Sed quum animadvertisset, navem, qua vehebatur, ab hostibus captam[29]), gladio latus suum percussit. Ac deinde prostratus in puppi, quaerentibus Caesarianis militibus, *ubinam esset imperator,* respondit: *Imperator bene se habet;* tantumque elŏqui voluit, quantum ad testandam animi fortitudinem satis erat.

II. Erzählungen aus Cicero.

1. De Atheniensium amore libertatis.

Athenienses, quum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque, ut, urbe relicta, conjugibus et liberis Troezēne[30]) depositis, naves conscenderent, libertatemque Graeciae classe defenderent: Cyrsĭlum quendam suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt.

2. De Themistocle.

Ad Themistoclem quidam doctus homo accessit eique artem memoriae pollicitus est se traditurum. Quum ille

---

24) der Acc. durch den Dat. zu übersetzen. — 25) acc. rat. mort. *durch absichtlich sich zugezogenen Tod.* — 26) *deren.* — 27) elatus animus *Seelengrösse.* — 28) *zu Schiffe.* — 29) ergänze *esse.* — 30) *Troezen,* eine Stadt in Argŏlis, einer Landschaft des Peloponnesus.

quaesisset, *quidnam illa ars efficere posset:* dixit ille doctor, *ut omnia meminisset.* Et ei Themistocles respondit, *gratius*[31]) *sibi eum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam si meminisse, docuisset.*

3. De Sophocle a filiis accusato.

Sophŏcles[32]) ad[33]) summam senectutem tragoedias fecit. Quod propter studium quum rem familiarem neglegere videretur: a filiis in judicium vocatus est, ut illum quasi desipientem a re familiari removerent judices. Tum dicitur[34]) ille senex fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, *Oedipum Colonēum,* recitasse judicibus, quaesisseque, *num illud carmen desipientis videretur.* Quo recitato, sententiis judicum est liberatus.

4. De somnio Sophoclis.

Poēta divīnus Sophŏcles, quum ex aede Hercŭlis patĕra aurea gravis surrepta esset, in somnis[35]) vidit ipsum Deum dicentem, qui id fecisset; quod semel ille iterumque neglexit. Ubi idem saepius accidit, ascendit in Areopăgum[36]) et detulit reum. Areopagītae[36]) comprehendi jubent eum, qui a Sophŏcle erat nominatus. Is, quaestione adhibita, confessus est patĕramque retulit.

5. De parricidio.

Solon[37]) quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset: respondit, *se id neminem facturum*[38]) *putasse.* Romani vero, quum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricīdas singulare excogitaverunt. Voluerunt, insui in culeum vivos atque in flumen injici.

6. De Xenocrate.

Xenocrătes[39]), quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta[40]) attulissent, abduxit legatos ad coenam in Aca-

---

31) gratius alicui facere *einem einen grösseren Gefallen thun.* — 32) einer der berühmtesten Griechischen Tragiker. — 33) hier *bis zum.* — 34) *soll.* — 35) *im Traume.* — 36) das höchste Gericht in Athen, dessen Beisitzer *Areopagiten* hiessen. — 37) der berühmte Gesetzgeber von Athen. — 38) ergänze *esse.* — 39) ein berühmter Philosoph zu Athen. — 40) ein Talent betrug ungefähr 1400 Thaler.

demiam[41]); iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu[42]). Quum postridie rogarent eum, cui numerari[43]) juberet: *Quid? vos hesterna*, inquit, *coenŭla non intellexistis, me pecunia non egere?* Quos quum tristiores vidisset: XXX minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

7. De Diogene.

Diogĕnes Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset, respondit: *Nunc quidem paulŭlum a sole.* Offecerat videlĭcet apricanti.

8. De Hippia.

Hippias, quum Olympiam venisset, gloriatus est, *Nihil esse rerum omnium*[44]) *ulla in arte, quod ipse nesciret; nec solum geometriam, musĭcam, literarum cognitionem et poëtarum se scire; sed anŭlum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse.*

9. De Theophrasto.

Theophrastus[45]) moriens accusasse naturam dicitur, quod corvis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset[46]); hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: *Nam horum aetas si potuisset esse longinquior, futurum fuisse*[47]), *ut, omnibus artibus perfectis*[48]), *omni doctrina hominum vita erudiretur.*

10. De Masinissa.

Masinissa, Numidarum rex, nonaginta annos natus[49]), quum ingressus esset[50]) iter pedibus[51]), in equum omnino non ascendit; quum equo[52]), ex equo non descendit. Nullo

---

41) ein Ort vor Athen, wo Plato und seine Schüler lehrten. — 42) *ohne besondere Zurüstung.* — 43) ergänze *pecuniam.* — 44) r. o. *von allen Dingen.* — 45) ein Griechischer Philosoph. — 46) q. int. *für welche es von keinem Gewicht wäre.* — 47) fut. f. *so wäre es möglich gewesen;* abhängig von einem zu ergänzenden *dixit.* — 48) Ablat. absol. *nach Vollendung aller Wissenschaften und Künste.* — 49) n. *alt.* — 50) quum hier *so oft,* daher mit dem Conjunctiv. — 51) *zu Fuss.* — 52) equo *zu Pferde.*

imbre, nullo frigore adducebatur, ut capite operto esset; exequebatur omnia regia officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristĭni roboris.

11. De Xerxe.

Xerxes, refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere[53]) auri contentus, praemium proposuit ei, qui invenisset novam voluptatem. Qua[53]) ipsa non fuit contentus; neque enim unquam[54]) finem inveniet libīdo.

12. De Leonida.

Leonĭdas, rex Lacedaemoniorum, se[55]) in Thermopȳlis trecentosque eos[55]), quos eduxerat Sparta, quum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Lacedaemoniis deinde in locum profectis, unde redituros se non arbitrarentur, dixit: *Pergite animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos*[56]) *fortasse coenabimus.*

13. De Lacedaemoniorum animi magnitudine.

Lacedaemonius quidam, quum Persa hostis in colloquio dixisset glorians, *Solem prae jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis: In umbra,* inquit, *igitur pugnabimus.* Similiter Lacaena, quum filium in proelium misisset et interfectum audisset, *Idcirco,* inquit, *genueram*[57]), *ut esset, qui non dubitaret pro patria mortem occumbere.*

14. De Epaminonda.

Quum Epaminondas[58]) vicisset Lacedaemonios apud Mantinēam, simulque ipse gravi vulnere exanimari se[59]) videret: ut primum dispexit, quaesivit, *salvusne esset clipeus.* Quum, *salvum esse,* flentes sui respondissent: rogavit, *essentne fusi hostes;* quumque id quoque, ut cupiebat, audivisset: evelli

---

53) der Ablat. durch *mit* zu übersetzen. — 54) neq en. unq. *denn niemals.* — 55) die Accusative hängen von *opposuit* ab. — 56) ap. inf. *in der Unterwelt.* — 57) ergänze *eum.* — 58) der berühmteste Thebanische Feldherr. — 59) ex. se *dass er sterben werde.*

jussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita, multo sanguine profuso, in laetitia et in victoria est mortuus.

15. De Dionysii tyranni animo suspicioso.

Quum[60]) esset Dionysius bonis parentibus atque honesto loco natus, abundaretque aequalium familiaritatibus et consuetudine[61]) amicorum: tamen credebat eorum nemini; sed iis, quos ex familiis locuplētum servos delegerat, et quibusdam convĕnis et feris barbăris corporis custodiam committebat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit.

16. De Fabricio.

Quum Pyrrhus, rex Epīri, populo Romano bellum ultro intulisset: perfŭga ab eo venit in castra Fabricii, ducis Romani, eique est pollicitus, *Si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum*[62]), *et eum venēno necaturum*[62]). Hunc Fabricius reducendum curavit[63]) ad Pyrrhum, idque factum ejus a senatu laudatum est.

17. De M'. Curio.

In vita rustica M'. Curius, quum de Samnitibus, de Sabīnis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis. Eidem ad focum sedenti magnum auri pondus Samnītes quum attulissent: repudiati ab eo sunt. *Non enim aurum habere, praeclarum sibi videri*, dixit, *sed iis, qui haberent aurum, imperare.*

18. De Graecorum et Romanorum imperiis.

Imperium Graeciae fuit penes Athenienses, Atheniensium potiti sunt Spartiātae, Spartiatas superaverunt Thebani, Thebanos Macedŏnes vicerunt, qui ad imperium Graeciae brevi tempore[64]) adjunxerunt Asiam bello subactam. Populus Romanus Numantiam delevit, Carthagĭnem sustulit, Corinthum disjecit, Fregellas[65])

---

60) *obgleich.* — 61) der Ablat. wird mit *an* übersetzt. — 62) ergänze *esse.* — 63) curare mit dem Part. Fut. Pass. wird durch *lassen* mit dem Inf. übersetzt. — 64) *während einer kurzen Zeit.* — 65) eine Stadt in Italien, welche die Römische Herrschaft abzuschütteln strebte.

evertit. Nihil Numantīnis vires corporis auxiliatae sunt, nihil Carthaginiensibus scientia rei militaris auxilio[66]) fuit, nihil praesidii[67]) Corinthiis erudita calliditas tulit, nihil Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est.

19. De Ennio et Scipione Nasīca.

Scipio Nasīca quum ad poētam Ennium venisset, eique ab ostio[68]) quaerenti Ennium[69]) ancilla dixisset, *eum domi non esse:* Nasīca sensit, illam domini jussu dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus[70]) quum ad Nasīcam venisset Ennius, et eum a janua quaereret[69]): exclāmat Nasīca, *se domi non esse.* Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem,* inquit, *tuam?* Hic Nasīca respondit, *Homo es impūdens; ego quum te quaererem*[69]), *ancillae tuae credidi, te domi non esse; tu mihi non credis ipsi?*

20. De Marii calliditate.

C. Marius[71]), quum a spe consulatus longe abesset, neque unquam petiturus[72]) consulatum videretur, Q. Metellum, cujus legatus erat, et a quo Romam missus erat, apud populum Romanum criminatus est, *bellum illum ducere. Si se consulem*[73]) *fecissent: brevi tempore aut vivum aut mortuum Jugurtham se in potestatem populi Romani redacturum*[74]). Itaque factus est ille quidem consul, sed a fide justitiaque discessit, qui[75]) optimum et gravissimum civem, cujus legatus et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit.

21. De T. Manlii pietate.

L. Manlio, quum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit[76]), quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, quod Titum filium ab hominibus relegasset et ruri habitare jussisset. Quod quum

---

66) aux. h. *half.* — 67) *keinen Schutz.* — 68) *an der Thür.* — 69) quaerere aliquem *nach jemand fragen.* — 70) *Nach einigen Tagen.* — 71) der berühmte Besieger der Cimbern und Teutonen. — 72) pet. cons. *sich um das Consulat bewerben zu wollen.* — 73) *zum C.* — 74) ergänze *esse;* der Accuss. c. Inf. abhängig von einem zu ergänzenden *dixit.* — 75) hier *weil er,* und deshalb mit dem Conjunctiv. — 76) diem dicere alicui *Einen vor Gericht fordern.*

audivisset adolescens filius[77]): accurrit Romam et cum prima luce[78]) in Pomponii domum venit. Cui quum hoc esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur[79]): surrexit e lectulo, remotisque arbitris[80]) ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit hoc coactus terrore Pomponius.

22. De improbo Themistoclis consilio.

Themistŏcles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in contione, se habere consilium reipublicae[81]) salutare, sed id sciri opus non esse. Postulavit, ut aliquem populus daret, quicum[82]) id communicaret. Datus est Aristīdes. Huic ille[83]), classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gythēum[84]), clam incendi posse; quo facto[85]) frangi[86]) Lacedaemoniorum opes necesse esse[86]). Quod Aristīdes quum audisset: in contionem magna exspectatione[87]) venit, dixitque, perutile[88]) esse consilium, quod Themistŏcles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt; totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore[89]) Aristīde, repudiaverunt.

23. De Dionysii tyranni sacrilegiis.

Dionysius quum ad Peloponnēsum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii: aureum ei detraxit amicŭlum gravi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo. Atque in eo[90]) etiam cavillatus est, *aestate*[91]) *grave esse aureum amiculum, hiēme*[91]) *frigidum;* eique laneum pallium injecit, quum, *id esse ad*[92]) *omne anni*

— 77) ad. fil. *der erwachsene Sohn.* — 78) c. pr. l. *mit Anbruch des Tages.* — 79) *glauben mochte.* — 80) rem. arb. *nach Entfernung der Zeugen.* — 81) der Dat. durch *für* zu übersetzen. — 82) bei der unbestimmten Person gewöhnlich *quicum* statt *cum quo.* — 83) ergänze *ostendit* oder *dixit.* — 84) ein Seehafen. — 85) quo f. *worauf.* — 86) fr. nec. esse *nothwendig gebrochen werden müssten.* — 87) magn. exsp. *unter grosser Erw.* — 88) *sehr nützlich.* — 89) *auf des Aristides Veranlassung.* — 90) in eo *dabei.* — 91) der Ablat. mit *in* zu übersetzen. — 92) hier *für.*

tempus, diceret. Idem Aesculapii Epidaurii barbam auream demi jussit: *neque enim convenire,* dixit, *barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater*[93]) *imberbis esset.*

24. De Gygis anŭlo.

Gyges, regius pastor, quum terra dicessisset magnis imbribus, in illum hiatum descendit aeneumque equum animadvertit, cujus in lateribus fores erant. Quibus apertis vidit corpus magnitudine inusitata anulumque aureum in digito, quem, ut detraxit, ipse induit. Tum in concilium pastorum se recepit. Ibi, quum palam ejus anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, quum in locum suum anulum inverterat.

25. De Simonide poēta.

Quum coenaret Cranōne in Thessalia Simonĭdes apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripserat, in quo multa, poētarum more[94]), in Castŏrem et Pollūcem scripta erant: nimis ille sordide Simonĭdi dixit, *Se ei dimidium ejus, quod pactus esset pro illo carmine, daturum; reliquum a suis Tyndarĭdis*[95]), *quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur*[96]). Paulo post nuntiatur Simonĭdi, *ut prodiret; juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent.* Surgit ille, prodit, vidit neminem. Hoc interim spatio[97]) conclāve illud, ubi epulabatur Scopas, concĭdit, qua ruina ipse oppressus cum suis interiit.

26. De Cyro minore.

Quum Lysander Lacedaemonius venisset ad Cyrum minorem[98]) Sardes[99]), eique dona a sociis attulisset: et ceteris in rebus comis erga Lysandrum atque humanus fuit, et ei quendam conseptum agrum diligenter consitum ostendit. Quum

---

93) damit ist Apollo gemeint, der stets als Jüngling ohne Bart abgebildet wird. — 94) *nach Art.* — 95) Castor und Pollux waren Söhne des Tyndarĕus, und hiessen daher die Tyndariden. — 96) si ei vid. *wenn es ihm beliebte.* — 97) *während dieser Zeit.* — 98) ein Bruder des Artaxerxes Mnemon, Königs von Persien. — 99) Sardes war die Hauptstadt von Lydien, einer Provinz Klein-Asiens.

autem admiraretur Lysander et proceritates arborum et directos ordines et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus: tum dixit, *mirari se non modo diligentiam sed etiam sollertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta.* Et ei Cyrus respondit: *Atqui ego omnia ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae.* Tum Lysander, intuens ejus purpuram et nitorem corporis ornatumque Persico multo auro multisque gemmis, dixit: *Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta est.*

27. De Lucullo.

L. Lucullus[100]) in Asiam quaestor profectus ibi permultos annos admirabili quadam laude[101]) provinciae praefuit; deinde absens factus aedilis[102]), continuo praetor, inde ad consulatum promotus est, quem ita gessit, ut omnes diligentiam admirarentur, ingenium agnoscerent. Post ad Mithridaticum bellum missus a senatu non modo opinionem vicit omnium sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria[103]) non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae[104]) diuturnum tempus in Asiae pace consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit usus disciplinam[105]). Itaque quum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percunctando a peritis, partim in rebus gestis legendis[106]): in Asiam factus imperator[107]) venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis. Habuit enim divīnam quandam memoriam rerum.

28. De Regulo.

M. Atilius Regŭlus quum consul in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedaemonio: missus est ad senatum juratus, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is quum Romam venisset,

---

100) einer der ausgezeichnetsten Römischen Feldherrn, welcher den mächtigen König Mithridates besiegte. — 101) der Ablat. durch *mit* zu übersetzen. — 102) *zum Aed.* — 103) l. imp. *Feldherrnruhm.* — 104) *das Amt des Quaestors*, das unterste von den hohen Römischen Staatsämtern. — 105) us. disc. *die Schule der Erfahrung.* — 106) in r. leg. *im Lesen von Kriegsthaten.* — 107) wie auch wir sagen: *als ein gemachter Feldherr.*

in senatum venit, mandata exposuit, sententiam dicere recusavit, contendens: *quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem.* Atque illud etiam, *reddi captivos, negavit esse utile*[108]; *illos enim adolescentes esse et bonos duces, se jam confectum senectute.* Cujus quum valuisset auctoritas: captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit, neque eum caritas patriae nec suorum retinuit. Neque vero tum ignorabat[109], se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed jusjurandum conservandum[110] putabat. Itaque eum Carthaginienses resectis palpĕbris, illigatum in machĭna[111], vigilando necaverunt.

29. De somnio quodam mirabili.

Quum duo quidam Arcădes familiares iter una facerent, et Megăram[112] venissent: alter ad cauponem devertit, ad hospitem alter. Qui ut coenati[113] quieverunt: concubia nocte[114] visus est in somnis ei, qui erat in hospitio, ille alter orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. Ille primo[115] perterritus somnio surrexit, dein, quum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit. Tum ei dormienti idem ille visus est rogare, ut[116], quoniam sibi vivo[117] non subvenisset, mortem sane ne[116] inultam esse pateretur. Adjecit, *se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum et supra stercus injectum;* petit, *ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret.* Hoc vero somnio ille commotus mane bubulco praesto[118] ad portam fuit, quaesivit ex eo[119] quid esset in plaustro? Ille perterritus fugit; mortuus[120] erŭtus est; caupo, re patefacta, poenas dedit.

30. De astutia cauponis percussoris.

In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam et secum[121] aliquantum nummorum[122] ferentem est consecutus.

---

108) neg. — ut. *sagte er, sei nicht nützlich.* — 109) Neque — ignorabat *und doch wusste er damals sehr wohl.* — 110) ergänze *esse.* — 111) hier *Folterbank.* — 112) eine Stadt nicht weit von Athen. — 113) *nach der Mahlzeit.* — 114) *tief in der Nacht.* — 115) *anfangs.* — 116) ut — ne *dass nicht,* stärker als ne allein. — 117) sibi vivo *ihm als er noch lebte.* — 118) praesto fuit *er zeigte sich.* — 119) ex eo *ihn.* — 120) *der Todte.* — 121) *bei sich.* — 122) al. n. *eine bedeutende Geldsumme.*

Cum hoc in via sermonem contulit; ex quo[123]) factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare quum in eandem tabernam devertissent: simul coenare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Coenati[124]) discubuerunt ibīdem. Caupo autem, quum illum alterum, qui nummos haberet, animadvertisset: noctu, postquam illos arctius ex lassitudine dormire sensit, accessit, et alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter appositum e vagīna eduxit, et illum alterum occidit; nummos abstulit, gladium cruentatum in vagīnam recondidit, ipse sese in lectum suum recepit. Ille autem, cujus gladio occisio erat facta, multo ante lucem[125]) surrexit, comitem suum inclamavit semel et saepius. Illum somno impeditum non respondere existimavit, ipse gladium et cetera, quae secum attulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post[126]) conclamavit, hominem esse occisum, et cum quibusdam deversoribus illum, qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem comprehendit, gladium ejus e vagīna educit, reperit cruentum. Homo in urbem ab illis deducitur ac reus fit[127]). Caupo autem mox in alio maleficio deprehensus poenas dedit.

III. Gespräche.

1. Augustus et Franciscus.

A. Cur adeo curris, Francisce? F. Quia, nisi affuero in tempore[128]) ante recitatum catalŏgum, actum erit de me[129]). A. Hac quidem e parte nihil est periculi[130]). F. Quidni? A. Nondum praeterita est octava hora. Inspice horologium; manus[131]) nondum attigit punctum, quod horam ab hora aequis spatiis dirimit. F. At ego vix habeo fidem horologiis; mentiuntur nonnunquam. A. Tu vero mihi fide, qui campanae vocem audivi. F. Quid loquebatur? A. Horae octavae dodrantem demum praeterisse. F. Sed est et aliud, quod timeam.

---

123) ex quo *woher.* -- 124) *Nach der Mahlzeit.* — 125) ante luc. *vor Tages Anbruch.* — 126) n. m. post *nicht lange nachher.* — 127) r. fit. *wird angeklagt.* — 128) i. t. *zur rechten Zeit.* — 129) actum est de me *es ist um mich geschehen.* — 130) n. est p. *es ist keine Gefahr.* — 131) hier *der Zeiger.*

A. Quid id est? F. Reddenda[132]) est memoriter hesterna lectio, et vereor, ut[133]) possim. A. Commune periculum narras, nam et ipse eam vix satis teneo. F. Et nosti praeceptoris rigorem et severitatem. A. Rigidus est ignavis[134]), sed comis strenuis discipulis[134]). Verum, age, reddamus inter nos vicissim lectionem, quum adhuc supersit aliquid temporis[135]); tu inspice librum, ego recitabo. A. Pulchre mones. F. Fac[136]) praesenti sis animo; nam metus officit memoriae.

2. Antonius et Cornelius.

A. Avunculus mihi nuper natali meo tabulam lusoriam[137]) cum triginta calculis dono[138]) dedit, ut cum familiaribus ludos facerem, sed nescio, quomodo ludos instituam. C. Hoc te docebo, mi Carole, dummodo mihi audiens sis dicto[139]). A. Equidem libenter ero, attentumque me habebis discipulum. C. En ergo, ab altera parte LXIV areŏlae quadratae alternatim albae atraeque. A. Intelligo. C. Haec pars tabulae apta est ad ludum, quem nostrates appellant Damicum. A. Hoc sane verbum non esse Latinum, unusquisque statim sentit. C. In lusu Damico uterque collusorum duodecim calculos habeat oportet[140]). A. Quid multa[141])? ludendo melius discam ludere quam praeceptis. Itaque accipe tu duodecim calculos albos, ego mihi sumam duodecim rubros. C. Jam igitur suo uterque lateri assidens milites suos disponat per atras primorum trium ordinum areolas, ita ut inter utrumque exercitum duo medii ordines vacui sint. Nunc promŏve unum tuorum militum in proximam areolam vacuam. A. Promovi. C. Quid fecisti? Atrae modo areolae teneantur. A. Bene monuisti; jam vero tu unum tuorum pari modo promove. C. Sic igitur alter post alterum alternatim calculos suos promoveat; quodsi promovendo calculo obstat solitarius adversarius: promovendus transiliat obstantem, id quod ferire seu percutere ludentes appellant. A. Ecce percussi tuorum aliquem; sed quid tandem de[142]) percusso calculo faciam? C. Ex tabula lusoria ejice. A. Jam vero rationem

---

132) reddere hier *aufsagen.* — 133) ut hier *dass nicht.* — 134) der Dat. mit *gegen* zu übersetzen. — 135) al. t. *etwas Zeit.* — 136) fac sis *sei ja.* — 137) tab. lus. *Spielbrett.* — 138) *zum Geschenk.* — 139) audiens sum dicto *ich bin folgsam.* — 140) h. op. *muss haben.* — 141) Q. m. *wozu viele Worte?* — 142) *de* bei facere durch *mit* zu übersetzen.

ludi intellexi; dic modo, quaeso, quando et qua ratione[143]) ludus finiatur. C. Quum acciderit, ut nullus supersit calculus, quem ferire possis.

3. Fridericus et Hermannus.

F. Tu totiens apud me gloriatus es, te mirum quendam[144]) esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age, libet experiri, qualis sis artifex. H. Nihil detrecto, quum agitur de[145]) certando. Nunc tu plane, ut ajunt, in planitiem provocas equum. F. Et tu senties, me non esse asinum. H. Hi spectatores erunt et arbitri. F. Accipio, et si vicero, tu ter exclamabis, Vivat, floreat, crescat Fridericus; si victus, quod absit[146]), fuero, totidem verbis tuam gloriam celebrabo. H. Ago, placet condicio; adsit fortuna. F. Nosti saxum illud prominens haud procul a porta? H. Novi. F. Ea erit meta, et haec linea, ultra quam mittere non licet. H. Esto; sed sint pares globi. F. Minus discernas ovum ab ovo. Sed mea non refert, utrum malis; elige. H. Mitte modo prior[147]); reliquum mihi sumam. F. Misi. H. Heus! tu mihi non brachium sed ballistam habere videris, ita torques globum. F. Verum tu quoque mitte tandem; satis momordisti labrum, satis rotasti brachium. O vires Herculeas[148])! sed tamen vinco. H. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, praeverteram te. F. Consiste in tuo vestigio. H. Non utar dolo malo; cupio virtute vincere non fraude, quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat[149])! F. Ingens profecto jactus! H. Ne ride prius, quam viceris; adhuc paene pares sumus. F. Nunc res agitur[150]). Uter prior metam contigerit, is vicerit. Vici! canta. H. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria[151]); nam primo nondum incaluerunt vires. F. Quid ais? Agnoscisne victoriam? H. Tibi fortuna magis favit: viribus et arte tibi non cedo. F. Noli rixari; quod arbitri pronuntiaverint, id sequamur. Arbitri. Fridericus vicit; et hoc[152]) gloriosior est victoria, quod talem artificem vicit. F. Euge! Nunc canta, Hermanne. H. Sum raucus. F. Nihil

---

143) q. r. *auf welche Weise.* — 144) mirus quidam *ein ausserordentlicher.* — 145) agitur de *es kommt darauf an.* — 146) q. abs. *was nicht geschehen möge.* — 147) *zuerst,* wo von zweien die Rede ist. — 148) der Acc. nach O mit *über* zu übersetzen. — 149) B. v. *es möge gut ausfallen.* — 150) N. r. ag. *jetzt kommt es darauf an.* — 151) q. l. const. v. *bei dem wievielten Spiele gewonnen sein sollte.* — 152) *um so.*

valet hoc loco tergiversatio; modo cantes. H. Jam igitur vivat, floreat, crescat Fridericus ter. F. Imo ter hoc erat canendum. H. At vero jam satis; sudando et canendo contraxi siticulam[153]); quum bibēro, cetera canam.

4. Julius et Carŏlus.

J. (Domo exiens.) Si quis me quaeret, Christiane, dic, me haud longe hinc prodisse, sed cito rediturum. C. Praesto est, quem desiderabas; desĭne mandare cetera. J. Oh! At ego tibi obviam ire conabar, Carole. C. Accipe librum, quem mihi commodasti; ecce! conservavi eum majore cura, quam si meus esset. J. Amo te; et quod non neglexisti meum votum, habeo gratiam. C. Quales hi sunt mores! Adeone res redit[154])? Si quis quid reddit, magna habenda gratia est! Sed quid tu es tristis? J. Egone? Nescis, quo in metu omnes simus. C. Quid istud est? J. Scies. Audistine, Martinum fratrem meum majorem natu[155]) trans mare iter fecisse? C. Audivi. J. Reditum ejus jam ex tribus mensibus expectamus, nec vero quidquam certi aut ab eo aut de eo comperimus. C. Magnum profecto temporis spatium! Sed varii sunt navigantium casus, nec facile est trans mare literas dare[156]); saepe, ut ex avunculo meo cognovi, per plures menses retardantur. J. His et similibus verbis omnes quidem nos solari student, sed quotidie in actis diurnis[157]) de sāevitia et importunitate maris factisque naufragiis legimus. C. Es bono animo[158]), mi Juli. Quid juvat tristibus cogitationibus excruciari? Nisi spes me fallit, frater tuus reverterit, priusquam ad te rediero. Vale in biduum[159]).

5. Julius et Martinus.

J. Horrenda narras, frater. Prohibeat Deus, ne unquam mihi veniat in mentem navigare. M. Imo, quod hactenus memoravi, lusus merus est prae his[160]), quae nunc audies. J. Quid? obsecro. M. Nautis frustra luctantibus cum tempestate tandem nauclērus pallens nos adiit. J. Is pallor praesignificat

---

153) contr. sit. *ich habe etwas Durst bekommen.* — 154) Ad. r. red. *dahin ist es gekommen.* — 155) major natu *älter.* — 156) lit. dare *einen Brief abschicken.* — 157) acta diurna *Zeitungen.* — 158) b. an. *gutes Muths.* — 159) in bid. *auf zwei Tage.* — 160) prae his *in Vergleich mit dem.*

aliquod magnum malum! M. Amici, inquit, desii esse dominus navis meae; vicerunt venti, reliquum est, ut spem nostram collocemus in Deo, et suam quisque mentem paret ad extremum casum. J. Horribile auditu! M. Imprīmis autem, inquit, exoneranda est navis; praestat, consulere vitae jactura rerum quam simul cum rebus interire. J. Persuasit sane veritas. M. Projectae igitur sunt in mare merces pretiosissimae, aurum, argentum, vestes; nulli rei parcebatur. J. O quae temeritas est, fortunam credere ventis! Sed quid tum? M. Paulo post venti, nihilo mitiores facti nostris muneribus, ruperunt funes, disjecerunt vela. J. O calamitatem! M. Ibi rursus nos adit nauclerus: Amici, inquit, tempus hortatur, ut sibi quisque consulat; ultra tres horas tueri navem nequeo. J. Quid interea vectores? M. Videres[161]) miserrimam rerum faciem. Promiscue clamabant, precabantur, vota faciebant, interdum etiam diras voces mittebant[162]). J. O perversas hominum mentes! M. Interim ego, quum navis orae paulatim admota esset, et vada in propinquo apparerent, spem meam in nando posui. J. Quam salutaris est periclitantibus ars natandi! M. Itaque desilui in mare, et sic, adjuvante Deo[163]), ad litus delatus et ex mortis periculo servatus sum.

6. Nearchus et Priscillus.

N. Quem librum tam assidue legis, Priscille? P. Est liber Latinus. N. Itane vero[164])? Tantum curae[165]) linguae antiquae et emortuae impendis! P. Est quidem lingua antiqua; sed quomodo vocare potes linguam emortuam, quam non solum omnes pueri honestiores ediscunt, sed qua[166]) etiam doctissimi homines et scribendo et loquendo[167]) utuntur. N. Habeant sibi[168]) istam linguam docti homines; equidem magis delectabor aliis rebus discendis, vitae communi utilioribus. P. Num tu putas, me ipsum easdem res neglegere, quas tu laudas, dum Latinis literis operam do[169])? N. Certe credo. P. Age! enarra mihi disciplinas istas, quibus tu das operam[169]). N. Primum linguae patriae, secundum Francogallicae, deinde geometriae, tum historiae, postremo geographiae et physicae. P. Nihil

---

161) *du hättest sehen kennen.* — 162) d. v. mittere *Verwünschungen ausstossen.* — 163) adj. Deo *mit Gottes Hülfe.* — 164) Itane v. *wirklich?* — 165) T. c. *soviel Fleiss.* — 166) *deren.* — 167) der Abl. durch *bei* zu übersetzen. — 168) hab. sibi *mögen für sich behalten.* — 169) operam dare alicui rei *sich womit beschäftigen.*

omnium harum rerum equidem neglego; verum non solum praeceptor mihi dixit, sed ipse magis magisque sensi, operam, quam Latinis literis impenderem, in ceteras quoque disciplinas redundare[170]). N. Quomodo? quaeso. P. Quia omnes artes communi quadam inter se societate junctae sunt. N. Non intellego. P. En ergo! Lingua Francogallica, ex qua orta est lingua? N. Nescio, sed tamen videntur mihi nonnulla vocabula Latinis similia esse. P. Non solum nonnulla sed pleraque omnia[171]) ex Latino fonte derivantur; et qui Latine sciet, non vocabula modo sed regulas quoque et Francogallicae et omnium recentiorum linguarum, quae Romanenses[172]) dicuntur, facillime discet. N. Loqueris, quasi ipse sis magister Latinarum literarum. Sed quid hoc ad[173]) nostram linguam? P. Etiam nostrae linguae regulas et leges, quae ex eodem fonte haustae sunt, melius intelliges, si Latinam probe didiceris. N. At tu desine tandem disputare; neque enim[174]) multum abest, quin[175]) me doceas, omnis scientiae originem esse linguam Latinam. P. Noli hoc vereri, mirifice; at profecto verum est, eum, qui Latinis literis recte et strenue cognoscendis ingenium erudiverit, ad omnes res rectius et facilius percipiendas mentem formasse. N. Ego vero hoc nunquam nec intelligam nec concedam. P. Credo; qui[176]) enim potest hoc intelligere homo, qualis tu es, qui vix elementis praeclarae hujus linguae imbutus es, et de Latinis literis quasi caecus de colore disputas?

---

